COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.

VOLVMINIS XIX. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXXIV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Venetiis apud I. B. Pascali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1770. Vol. XXXI. med. Kongl. Academiens Tilſtand. Stockholm tryckt hos directeuren Lars Salvius, po deſs egen koſtnad 1770. in 8. pl. 22. Tab. aen. 8.

i. e.

Acta Acad. R. Sc. Suecicae Anni 1770. Vol. XXXI.

Trimeſtre primum.

1. *Machinam aeri in navibus recreando idoneam* proponit IO. CAR. WILKE. Cogitetur campana, qualis eſt vrinatoria, apici aperto infertum gerens tubum verticalem, exeuntem in transuerſum, qui transuerſus in duobus ſuis extremis, valuulis duabus clauditur, quae verſus easdem partes aperiri poſſunt. Iam ſi profundius ſub aquam deprimatur margo campanae, aer campanae cedit aquae intranti, et per tubum verticalem adſcendit, exit vero per vnam valuularum tranuerſi: eleuato margine, vt propius accedat ad ſuperficiem aquae, per alteram valuulam illi adiacentem partem canalis transuerſi, et verticalem irruit aer exterior in campanam, clauſa valuula, per quam prior exierat, preſſione aeris externi. Ita alterna depreſſione et eleuatione campanae aer mouetur; motus vero per canales, tranuerſo adiectos, ad ea p. 1.

loca, quibus opus eſt mutatione aëris, dirigitur. Pro nauium vſu campanae loco adhiberi poteſt ſuper circulos ligneos expanſus ſaccus ex linteo craſſiore, quo ad vela vtuntur; id madefactum, ſatis pro ſcopo aëri imperuium eſt. Is vero ope tigni, e naui exeuntis, in mare dimittitur, et in eo, vt dictum eſt, agitatur.

p. 5. 2. *Ad Xiphiae anatomiam et hiſtoriam* pertinentes obſeruationes edit ALEXANDER BERNH. KOELPIN; M. D. Hiſtor. Nat. Prof. Gryphiae. Non infrequens animal eſt in mari Balthico. Itaque vnum vidit, quod mortuum piſcatores aliquot
p. 6. iam dies oſtenderant. Menſuras tradit. Totum animal, ab enſis, qui dicitur, acumine ad caudae extremum pedum $9\frac{1}{2}$ (Suecicorum ſine dubio) enſis ped. $2\frac{3}{4}$ corporis peripheria, vbi ampliſſima, ped. $3\frac{1}{2}$; prope caudam $1\frac{3}{4}$. Pinna abdominalis nulla, licet talem exhibeant varii, qui piſcis imagines ediderunt, et ipſe OLEARIVS in icone piſcis, olim in muſeo Gottorpienſi reperiundi. Neque vlla piſcis pinguedo, de qua multum loquuntur SCHELHAMMERVS et HANOVIVS: ſed hi forte carnem albiſſimam pro pinguedine habuerunt. Piſcatores nihil fere pinguedinis obtinuerunt ex carne cocta: nam caro comeditur. Subiiciuntur quaedam de partibus interioribus, vbi aliqua, quae de anatomia animali ſcripſerunt BARTHOLINVS, HARTMANNVS, SCHELHAMMERVS, emendantur et ſupplentur.

p. 17. 3) *De quibusdam phalaenarum generibus delendis* experimentum edit Comes CAR. IO. GRONSTEDT. Quaeſiuerat Academia Regia, quomodo obuiam eundum ſit erucis arborum fructiferarum, folia vaſtantibus; quaeſtioni bis reſponderat T. BERG-

BERGMANN et duplex praemium reportauerat. p. 17.
Respexerat inprimis ad *Phalaenam brumatam* (LINN. Syst. Ed. XII. 781.) cuius femina alis caret, Pomonae arboribus maxime inimica; metamorphosin subire insectum in terra obseruauit; feminas vero non a maribus volantibus in coitu transferri, vt contingit aliquibus feminarum, alis orbatarum. Sed contra mares semimortuos secum trahere. Igitur impediendae sunt, ne in arbores repant, ouula in gemmis foliorum (nam septembri et octobri metamorphosin subeunt,) deposituae. Suasit Cl. BERGMANN trunco arboris circumliganda frusta corticis v. c. betulae; illa vero pice liquida illinenda; in qua, quae haeserunt insecta, quotidie eximenda sunt, ne super illorum cadauera, alia, tuta ab adhaesione adscendant: pix etiam renouanda est, vt semper satis tenax maneat. Hoc consilium quam bene sibi cesserit, describit Ill. CRONSTEDT. Cepit vero hoc modo *Phalaenam defoliariam* LINN. Faun. n. 1238, cuius erucam, et vtrumque sexum pinxit CLERCK *icones insector. rarior.* Tab. 7. fig. 4. erucam cum femina sola, ROESEL *Insecten Beluſtigungen.* T. III. tab. 14. habet etiam REAVMVR Tom. II. Tab. 30. Cor- p. 19.
tices circumdati arboribus fructiferis, varii generis 597. Captae feminae inde a 23 sept. 1769. ad 25 nou. numeratae 22716, praeter multas non numeratas, et circiter 6000 in pice relictas. Marium numerus etiam additus est, sed non tanta sollicitudine ac feminarum. Si feminae cuiuis tribuantur oua 250, patet, quantus futurus fuisset erucarum prouentus. Feminarum deiectarum oua auide comederunt vespae, et illis adeo se replerunt, vt volare non potuerint, aliquae etiam perierint.

p. 24. 4. *Idem* BERGMANNI *conſilium quomodo excetutus ſit* refert PETR. ADLERHEIM. Conſil. metall. Ipſe hoc modo innumeras *Phalaenas brumatas* cepit vtriusque ſexus. Quasdam feminas ſuſpicatus euaſiſſe, vel per interſtitia corticis alligati et arboris ipſius perrependo, vel transeundo ſuper picem, quae tempeſtate frigida facile ita coit, vt ſatis viſcida non maneat; cui impediendo, vt aliquid admiſceri poſſit pici optat. Certe tamen erucarum futurarum numerum hoc modo inſigniter diminuit, et cortices arboribus alligatos reliquit, proximo anno rurſus vſui futuros.

p. 29. 5. *Obſervationes variolarum ſanguinolentarum* edit GABRIEL LVND M. D. Cum multi infantes variolis perirent Holmiae, ſub finem anni 1760. et initium 1761, has, quas deſcribit, vidit in infantibus 5. aut 6 parentum pauperum. Initium morbi ſimile initio variolarum malignarum, ardor, dolores capitis, anxietas, vomitus, inprimis laſſitudo et defectus virium, cuius indicium erat, pulſus parvus et celer, reſpiratio difficilis, plerumque etiam diarrhoea. Secunda die incipiebat ſtadium ſecundum; conſpiciebantur maculae rubrae, quarum aliquae paulatim eleuabantur, ad magnitudinem paruae iuglandis, ſanguine repletae, aliae minores, aliae exiguae, variolis confluentibus ſimiles. Maxima pars veſicularum ſaepius velut retracta intra corpus, vix amplius conſpiciebatur: deinde rurſus apparebant priori magnitudine, quae alternatio
p. 31. duo dies interdum durabat. Loca, a variolis libera, pallebant, circum variolas nulla apparebant inflammationis indicia. Durabant anxietas, dejectio virium, pulſus paruus et celerrimus, ardor, non adeo magnus; ſaepius vero accedebat profluvium ſanguinis ex naribus, diarrhoea difficulter com-

compescebatur. Tertio stadio, quod suppurationis vocatur, nulla suppuratio. Variolae, vt ante, sanguine plenae, infantes, dum anxii se in lecto iactitabant, et ita vesiculas rumpebant, sanguis, qui effluxerat, lintea simili colore tingebat, ac alius sanguis, sed pallidiore. Fundum variolarum, vbi disruptae erant vesiculae, gangraenatum non animaduertit; vbi vero vesiculae sponte concidebant, locus post breve tempus nigrescebat. Iam alternabant ardor et frigus, alternis vicibus etiam nares sanguinem stillabant, excrementa erant sanguinolenta, vires magis magisque diminuebantur, anxietas et deiectio virium increscebant et aeger plerumque quinta die post eruptionem variolarum moriebatur. Nihil ad leuandum morbum faciebant nitrosa, acida mineralia, emulsiua, diluentia, camphorata aut chinata: analepticis videbatur optime effici, vt variolae extra superficiem corporis retinerentur. Balnei vtilitas nulla, venaesectio, cantharides, sinapismus exigui vsus. Turundis, solutione vitrioli aut aluminis madefactis, narium haemorrhagia sistebatur, rhabarbarina, et opiata lenia, vespere data, diarrhoeam ad tempus impediebant, sed haec remedia omnia, non nisi lenientia erant; infantes autem his variolis sanguinolentis adfecti omnes, septima die ab initio morbi moriebantur. Hunc morbum in Auctoribus frustra se quaesiisse ait Noster, et diuersos ostendit, qui similes ipsis videri possint apud SYDENHAMVM, BOERHAAVIVM, LISTERVM, LA METTRIE, MEADIVM, SAVVAGES, et PLENCIZ.

6) *Obseruationes eclipseos solis d. 4. iun.* 1769. *Holm. in obseruatorio habitas* edit PET. WARGENTIN, quas inprimis monet magni momenti esse ad definiendas differentias meridianorum loco- p. 35.

rum, vbi tum temporis aſtronomi degebant, propter tranſitum veneris ſub ſole. Ita ex ſua obſeruatione cum ea, quam P. HELL habuit, collata, Wardoehuſium, vbi Vir Cl. obſeruauerat 52 min. 11 ſec. temporis magis verſus orientem ſitum colligit Holmia. Eleuatio poli Wardoehuſii eſt 70 gr. 22 min. 35 ſec. quibus duobus definitur poſitio extremi borealis peninſulae Scandicae. Ceterum hic edit tempora, quibus maculas, quarum illa die multae in ſole erant, vel texerat luna, vel illas reliquerat.

p. 41. 7. *Eiusdem eclipſeos obſeruationes*, per ERICVM PROSPERINVM Math. Adi. Vpſaliae.

p. 42. 8. *Eiusdem obſeruatio* FRID. MALLET obſeruatoris Regii Vpſalienſis, Pello in Lapponia inſtituta. Vidit quaedam, quae exiſtimat ad lunae atmoſphaeram pertinere, et aſtronomis, vt ad eiusmodi phaenomena attenti ſint, commendat.

p. 48. 9. *Examen pulueris, caementariis vſitati* (Trafs) edit BENED. QVIST. ANDERSSON. Vſus eſt materia, quam Delphis reperit, vbi molis contunditur. Duas eius varietates inuenit. Prima griſea eſt, flaueſcens, duriuſcula, tactu aſpera et ſicca: diffracta in ſuperficiebus, quae cohaeſerant ſpeciem exhibens ſubtilioris argillae, arenae mixtae, ignem paſſae: immixtas habet particulas corneorum cryſtalliſatorum WALLERII, item ſpati et quarzi, plena interſtitiorum, quorum alia vacua ſunt, alia referta particulis lapidis leuiter adhaerentis, pumici ex fibris tenuibus conſtanti ſimilis. Altera varietas eo ſolo a priore differt, quod plura admixta habeat, vt, praeter enumerata, particulas ſchiſti nigreſcentis, lapilli cornei cryſtalliſati, magneti obedientes, micam, particulas minerae ferreae cet. His mate-

materiebus contusis aquam superfudit, limumque et sedimentum examinauit, liquores chemicos, inprimis spiritum vitrioli adhibuit: limum etiam siccatum et compactum examinauit, ex quibus, quae enarrare longum esset, haec infert:

Materia haec *Trass*, varias alias habet admixtas, sed tam exigua copia, vt fortuito ad illam delata esse iudicandum sit, nec ad substantiam pertinere. Inprimis ad argillas videtur referenda: nam puluis, in aqua natans, ipsum odorem argillae spargit madefacta et siccata, in igne aliquantum indurescit, sola absque additamento funditur, spiritu vitrioli admixto alumen praebet, et sal selenitícum, quo terram calcariam adesse ostenditur. (Adiiciamus, caementariam hanc terram, *Trass*, Germaniae productum esse. Foditur prope Francofurtum ad Moenum et Andernacum, et inde Belgis aduehitur. Examen chimicum eius instituit Cel. VOGEL in praelectione habita in Soc. Reg. Scient. Gotting. 14 Nou. 1772. v. Nouos Commentarios Soc. Sc. Gott. Tom. III. p. 10.) p. 65. p. 66.

10. *Viuerram Putorium* describit IOSEPH. CELESTINVS MVTIS, M. D. Vic. Regis Sanctae fidei in America, quae Hispanis paret, medicus. Descriptio ex litteris ad NICOL. ALSTROEMER, sermone Hispanico scriptis, hic Suecico editur. Habitat animal circa metallifodinas prope Pamplonam Americae; foueas in terra excauat, in quibus tota die dormit, nemini nociuum. Nocte infecta venatur, quibus vescitur, scarabaeos et lumbricos, quos ex terra effodit, fortibus eo fine praeditum pedibus anterioribus, illisque vngulis munitis. Quamprimum aliquid auditu percipit, vnde sibi metuit, liquorem foetidissimum longe iaculat, quo facile inimicum quemuis absterret. p. 67.

Hunc liquorem vrinam hactenus putarunt. No-
p. 75. ſter reperit eum contineri duabus glandulis oui co-
lumbini magnitudine, infra peluim prope anum
ſitis, exitum habentibus in rimam, dimidii digiti lon-
gam. Hanc rimam initio pro vulua habuit fili,
erat enim animal mas; ſed hoc errore effectum
eſt, vt, deſtructa rima, non ſatis obſeruare poſſet
exitum puncti alicuius mammillaris, ex quo proue-
batur liquor foetidus. Glandulae vero, quas di-
mus, conglomeratae erant, contentae folliculo oui-
formi, in quo reperiebat aliquid liquoris foetidi.
Folliculus erat membranoſo tendinoſus, laeuis,
compactus. Punctum mammillare pertranſibat
ductus excretorius; glandulae vero circumuectio-
bantur muſculis, quorum ope liquor exprimeretur
per ductum. Hos muſculos licet ſatis fortes, non
tamen ſufficere credit Noſter liquori in tantum
vt re vera ſit, diſtantiam ſpargendo: igitur facere
aliquid adhuc aeſtimat baſin caudae prementem.
Veſica vrinaria vacua erat nullumque veſtigium in
illa fuiſſe aliquid adeo foetidi. Exhibet Noſter tum
animalis deſcriptionem, ad leges Linnaeanas con-
cinnatam, tum varia ad anatomiam pertinentia
de partibus, thorace ac abdomine contentis, item
muſculis. Sed in his breuiorem eſſe, quam vellet,
coegit intolerabilis foetor, vnde nati ipſi dolores
capitis, nauſea, vertigo, et alia mala, vt huius
anatomiae adhuc cum horrore reminiſcatur.
Multos dies ſuperfuit adhuc foetor in conclaui, vbi
peracta erat disquiſitio. Quodſi hyſtericae e paroxy-
mis rebus foetentibus reuocandae ſint, nullum effi-
cacius remedium adhiberi poſſe hac materia cre-
dit. Ceterum monet, animal prope accedere ad
Ciuettam, quam deſcripſit Ac. Reg. Sc. Pariſina.

II. *Ex diario academiae* editur, Cl. HEYKENSKIOELD experimento comprobaſſe, quod de aqua fontis *Loka* narratur, diutiſſime illam ſervari poſſe. Lagenas hac aqua repleri curauit 1759. et ad fontem ipſum ſubere et pice claudi. Harum aliquae Holmiae in cauea ſeruatae hoc anno 1770, ſaporem omnino, qualis aquae, ad ipſum fontem hauſtae, eſt, oſtendunt, nihil vel ſedimenti, vel turbidi habent. Igitur haec aqua iis commendatur, qui puriſſimam potui, vel alios ob fines quaerunt. p. 77.

Trimeſtre ſecundum.

I. *Hiſtoriam eorum, quae chymici fecerunt ad vniendum mercurium, cum acido ſalis communis* edit. T. BERGMANN. Hac prima parte agit de *ſublimato corroſiuo*, cuius praeparationis methodos varias recenſet et diiudicat: ſaepius etiam, quae ipſi euenerint experimenta pariter inſtituenti, narrat. Sublimati huius parum vel nihil in Suecia praeparari dolet, cum parcere Sueci poſſint pecuniae, in emendum illud ab exteris impendendae. Sit etiam id, quod emitur ſaepius arſenico mangonifatum. Quam fraudem ita detegi aliqui dicunt, quod ſublimatum, arſenico inquinatum, indito ſale alcalino, nigrum praecipitetur. Noſter vero, valde obſcurum eſſe hunc characterem experimento comperit, et illi certius examen praefert, vt pauxillum ſublimati carbonibus iniiciatur, arſenico, odore allii ſe manifeſtaturo. p. 79. p. 87. p. 90.

2. *Sublimati corroſiui praeparationem absque igne* docet Cl. MONNET; Gallus, rei metallicae cauſſa itinera inſtituens; Acc. Regg. Scc. Taurinenſis et Rothomagienſis ſodalis, opere de aquis minerali- p. 102.

bus

p. 104. bus notus. Eius ſcriptum diſſertationi BERGMANNI occaſionem dedit. Experimenta eius haec ſunt. Libram mercurii ſoluit in acido nitri q. ſ. quod calens adhuc adfudit in vas lapideum. Antequam recederet calor omnis, adfudit ſolutionem libra et dimidiae ſalis communis omnem ſimul. Ortus in mixto motus internus, aſcenderunt vapores rubri, et multum praecipitati decidit, ſed id ſtatim rurſus ſoluebatur. Poſt aliquam quietem, magna multitudo coit cryſtallorum paruarum, pugionum forma triangulares, flexibiles, et illis omnino ſimiles, quas exhibet ſolutio ſublimati corroſiui, illae
p. 105. a reliqua maſſa non aliter ſeparari poterant, quam quod in filtro reſtarent. Cum bene eſſent exſiccatae, dimidium illarum exponebatur ſublimationi in cucurbita, balneo arenae indita. Sublimatio ſatis celeriter procedebat calore exiguo. Alterum dimidium terebatur in mortario vitreo cum argento viuo; tres vnciae cryſtallorum aſſumebant duas vncias argenti viui; quam proportionem diſpenſatorium Pariſinum praeſcribit ad edulcorandum ſublimatum corroſiuum. Mixtura haec exponebatur ſublimationi. Cum hinc conſtaret, mercurium corroſiuum via humida tantum acidi ſalis recipere poſſe, quantum ſufficit, vt abeat in ſublimatum corroſiuum, tentare libuit, num maiori copia acidi onerari ſe patiatur? Itaque duae librae mercurii in ea acidi nitri quantitate ſoluebantur, cui aliquid adhuc deeſſet ad ſaturationem. Affundebatur ſolutio librarum trium ſalis communis. Oriebatur, vt ante, vehemens motus inteſtinus cum vaporibus rubris; liquor autem vix ad momentum temporis albeſcebat, ſtatim rurſus fiebat clarus, colorem vero obtinebat egregie coeruleum. Sali communi ſoluendo, aqua adhibita erat, copia, quam fieri poterat, minima: igitur mox oriebatur ingens multitudo cryſtal-

cryſtallorum, illis experimenti praecedentis omnino ſimilium. His ſeparatis, liquor exponebatur balneo arenae, vt quarta pars in vapores abiret: cum refrigeſceret, coibat plurimum eiusdem ſalis. Id ſiccatum, tantundem mercurii currentis, ac praedictum recipiebat, vt abiret in mercurium dulcem. Hae cryſtalli, cum a cryſtallis mercurii ſublimati corroſiui, conſueto more praeparatis, aqua ſua cryſtalli- p. 106.
ſationis differrent, adhibendus illis ſub initium ſublimationis eſt calor lentus et caute tractandus, ne cryſtalliſationis aqua ſubito mutetur in vapores, magnam partem ſublimati ſecum abducturos, imo vaſa diffracturos. Idem ſal mercurii ſi ſolum ſublimari debeat, maiori adhuc cautione opus eſt. Quod in his decompoſitionibus naſcitur nitrum quadrilaterum, difficulter cryſtalliſatur, et humidum ex aere attrahit, igitur nullum periculum eſt, id ſali mercurii, cum hoc cryſtalliſatur, ſe admixturum. Solutio quidem eius circumdat cryſtallos; ſed a charta, ſuper qua ſiccantur, ſuctione recipitur. Liquor ex ambobus his experimentis reſiduus, ſollicite in balneo arenae ad ſiccitatem euaporabatur: dum ſiccabatur maſſa ſalina, aliquid ſalis mercurii marginibus adhaerebat, etſi calor eſſet lenis. Itaque hoc modo multum perditur; ſal vero obtinetur omnino ſiccum. Haec maſſa ad ſeparandum ſal mercurii in puluerem redigebatur, quo 6 cucurbitulae vsque ad dimidium replebantur et balneo arenae immittebantur. Quarum fornices ſuperiores, cum breui tempore ſublimato obducerentur, paulo poſt ex media fumus craſſus albus exiit; quae cum accuratius Noſter conſideraret, in fundo reſiduum nitrum quadrilaterum fluere et vehementer ebullire vidit, imo variis in locis incendi; ſtatim reliquae cucurbitae eadem oſtendebant. Igitur p. 107.
quasdam ex igne ſuſtulit, ſed ſtatim elaboratorio

fumo

fumo, mercurii ſublimati pleno, fugere eum oportuit; inſpirauit et deglutiuit alcali volatile, quod vaporibus mercurii ſublimati vnitum, eorum effectus nocuos impedit, et eos exſpiratione eiici rurſus permittit. Itaque rediens in laboratorium cucurbitas, in balneo arenae reſiduas, claras reperit absque vllo ſublimato. Cum exiret ignis, nitrum quadrilaterum in magnis maſſis, fundis accretum reperit. Cucurbitae, quas exemerat, egregium ſublimatum corroſiuum continebant, paulo rarioris texturae. Haec, vt patet, oriebantur a fuſione nitri, quod ita ſolum accendi potuiſſe notatu dignum. Haec pericula vt euitarentur, maſſa ſalis mercurii aequali portioni arenae miſcebatur, quo impediebatur ſubita fuſio, calor vero ſub initium adhibebatur lenis, vt paulatim in vapores abiret humiditas. Ita facile obtinebatur ſublimatum; ſed, cum maſſa, antequam adderetur arena, plurimum nitri quadrilateri contineret, quaelibet cucurbita non, niſi tenuem laminam ſublimati, interiora obducentem, continebat; vnde conſultius eſt plurium cucurbitarum loco vnam maiorem adhibere, in qua ſublimatum magis compactum et cryſtallinum ob-
p. 108. tinetur. Solutioni octo vnciarum mercurii tantundem ſpiritus ſalis adfudit. Decidit magna quantitas praecipitati albi, etiamſi vehementer caleret ſolutio; praecipitatum hoc filtratum et aqua calida edulcoratum, omnino ſimile repertum eſt conſueto praecipitato albo. Hinc infert, cum mercurius ſat acidi receperit, vt in ſublimatum corroſivum abire poſſit, deinde plus acidi difficulter recipere, aut omnino non. Euaporatione ex hoc liquore obtinuit cryſtallos, prius deſcriptis ſimiles.
p. 109. Tandem examinaturus, num acidum ſalis adoriatur mercurium, alcali ope ab acido nitri ſeparatum, vnciae praecipitati in cucurbita adfudit quatuor

vncias

vncias debilis ſpiritus ſalis, quae balneo arenae expoſuit, mox ſoluta omnia vidit, aqua diluit et euaporauit, ſed nullas cryſtallos obtinuit, reſiduam tantum maſſam ſalinam. Quod, cum a nimia copia acidi accidere iudicaret, aqua diluit, praecipitati plus addidit, donec ſaturaretur acidum, et cryſtallos prioribus ſimiles habuit. Itaque via humida obtineri poteſt mercurius ſublimatus corroſiuus; eius vero qualitas corroſiua non inſcribenda eſt acido ſalis ſoli, ſed acidi ſalis et mercurii coniunctioni.

3. *Obſeruationem, diſſertationem praecedentem illuſtrantem* edit AND. IOH. RETZIVS. Cum mercurium purificatum ſoluiſſet aqua forti, qualis vulgo venditur, acido ſalis communis inquinata, globulos mercurii inuolutos reperit maſſulis ſalinis; decantato liquore, ſal ſiccauit in charta, quod obtinuit, griſeo albens, prismaticum flexile, omnino, vt Cl. MONNET ſuum deſcribit, ſimile quid alias obtinuit, ex aqua forti eiusdem ſpeciei; aliis vicibus vero id ipſi non ſucceſſit, ſine dubio, quia aquae fortis alia portio acidum ſalis communis continebat. p. 110.

4. *Obſeruata, poſtquam fulmen d.* 30 *maii* 1769. *Holmiae domum tetigiſſet*, enarrat IO. CAR. WILKE Prof. Phil. Experim. Hic locus ſaltim eſt paucis ex hiſtoria prolixiore excerpendus. p. 112. Exploſionem fulminis obſeruauit Noſter ſaepius velut praenunciari, p. 113. imbre vehementius decidente; platea, in qua domus tacta eſt, et vicina minor igne plenae viſae; p. 114. qui in portis aedium vicinarum ſtabant, ſuccuſſus ſenſerunt, quales ſunt electrici. Conclaue contignationis infimae totum igne plenum apparuit; et qui in eo fuerunt, ſuccuſſus electricos ſenſerunt: ceterum nihil damni domus paſſa eſt, paucis ſaltem locis

locis calcis particulae deiectae aut feſtucae auulſae. Cuius rei rationem hanc reddit; quod domus praeſidiis contra fulmen inſtructa erat fere iis, quae ſuaſit Cl. BERGMANN in ſermone, *de aedibus contra fulmen muniendis*. Haec domus quomodo inſtructa fuerit, vberius deſcribitur, et ipſa domus
p. 115. figura illuſtratur. Tecti faſtigium munitum eſt laminis ferreis, ſtanno obductis. Similes laminae pluribus locis, exterioribus domus ſuperficiebus applicatae ſunt; iunguntur vero canali ferreo, ex tecto deſcendenti, per quem pluuia delabitur: illi canali et laminis, domus ſuperficiei externae applicatis, iunguntur columnae ferreae, oblique terrae infixae. Ita fulmen, in tectum decidens, per ferramenta illa deducitur. Leuia, quae obſeruari potuerunt fulminis veſtigia, omnia talia fuerunt, qualia ex hac ſtructura et notis electricitatis effectibus, poſſunt explicari. Haſtae praealtae in apices deſinentes veretur Noſter, ne fulmen ex nube, alia
p. 121. praegreſſura, eliciant. Ipſe exiſtimat, electricas materias contrarias, ex nube et ex terra exeuntes
p. 122. ſibi mutuo occurrere, et incendi, vnde aedes non ſolum in ſummis locis, ſed etiam in imis muniendae ſunt. Varia addit ad periculum, quod aedibus a fulmine imminet, pertinentia, et illa obſeruationibus, Holmiae inſtitutis, confirmat.

p. 125. 5. *Additamentum diſſertationi praecedenti* ſubiicit TORBERN BERGMANN. Inprimis, quae de tuendis aedibus olim Societati Reg. obtulerat, illuſtrat, de haſtis benignius iudicat WILKIO, et ad quaedam, quae hic haſtis obiecerat, tecte reſpondet.

p. 130. 6. *Conſectaria oeconomica, ex tabulis, quibus numeri ciuium continentur*, continuat EDVARD

FR.

FR. RVNEBERG. Hic inprimis numerum eorum conſiderat, qui vere manus oeconomiae rurali exercendae adhibent. Illorum vtriusque ſexus numerum, ad numerum omnium incolarum reperit in ratione 625: 1788; itaque multo minorem, quam bono publico conducat: quod vlterius illuſtrat comparando hunc agricolarum numerum cum amplitudine terrarum, quae ab ipſis colendae ſunt. Quo efficitur, vt ſerio de conſeruando et augendo vtiliſſimo hoc hominum genere cogitandum ſit. p. 137.

7. *Situm geographicum locorum quorundam Liuoniae* determinat PETR. VARGENTIN. Obſeruationes leguntur *Comm. Nou. Petrop. T. V.* et ibi ad longitudines definiendas, GRISCHOVIVS obſeruationes circumiouialium cum calculis contulit; ſed hi ex tabulis VARGENTINI antiquioribus ducti erant. Igitur VARGENTIN iam obſeruationes Liuonicas confert, tum cum calculis accuratioribus, tum cum obſeruationibus, actu inſtitutis. Loca ſunt Reualia, Riga, Dagerort, in apice occidentali inſulae Dago, Arensburg in Inſula Oeſel. Colligitur ex his obſeruationibus, mare Balticum inter litora Sueciae et Liuoniae paulo latius eſſe, quam huc vsque iudicatum eſt. p. 152.

8. *De halecis piſcatura in Norlandia Noruegiae* refert NIC. CHRISTIAN. FRIIS, Epiſcopus Laponiae Norvegicae. Recenſentur loca, vbi haec piſcatura inſtituitur, inprimis, vbi mare ſinus ad litora efficit; piſcandi tempus commodiſſimum eſt ab exitu auguſti, durante ſeptembri, et octobri. Magno frigore captus piſcis ſtatim congelatur, et difficulter ſalem recipit, vnde commercio non eſt idoneus. p. 158.

p. 168. 9. *De ligni quaſſiae vi aduerſus arthritidem*, refert
p. 170. ED. SANDIFORT M. D. phyſicus Hagenſis. Femina debilis corporis, annorum 47, cum pluribus annis vehementibus doloribus arthriticis eſſet cruciata, plerisque remediis fruſtra adhibitis, initio anni 1769 vehementius malum ſenſit. Cum nihil auxilii conſueta remedia adferrent, Noſter, purgatis
p. 171. ante, vt decebat, inteſtinis, tincturam ligni quaſſiae praeſcripſit, cuius in vino Gallico albo primo 30, poſt 60 guttas ſumſit, primo vna vice ſingulis diebus, deinde binis vicibus. Maiorem doſin, quod amarior eſſet medicina, ſumere non potuit. Poſt aliquod tempus multum imminuti ſunt dolores: igitur tunc ſumſit quotidie 2 vncias, omnino ab arthritide liberata, vt nullos amplius dolores ſentiret. In alia femina ſimilem effectum habuit remedium, ſimiliter adhibitum. Sed, cum non amplius ſumeretur, redierunt dolores, etſi leniores. Igitur rurſus iuſſit remedium ſumi, cuius effectum inte-
p. 172. grum, cum haec ſcriberet, nondum vidit. Tincturam aliis praeparatis praefert, quod commodius adhibeatur. Vncia quaſſiae conciſa, aut curatius raſpata, phialae altae vitreae iniicitur, ſuperfunduntur vnc. 6. ſpiritus vini Gallici, ita omnia digeruntur in calore mediocri, tinctura decantatur. Aegris, de quibus refert, nulla alia medicamenta interna dedit, exterius frictionem adhibuit. Subiicit Ill. A LINNE' accipiendam eſſe radicem quaſſiae ſubfuſcam, non lignum trunci album; hoc pharmacopolas adhibere, ſed, quod ab eo radix effectu differat, LINNAEVM vidiſſe.

p. 173. 10. *Obſeruationes de oculo mundi*, edit BENGT. QVIST. ANDERSSON Varietates huius lapidis mirabilis duas nouit. Altera, viridis, maculis albis, a poſſeſſore DYONISIO VAN WYNPERSEN deſcri-

describitur in Ephem. Ac. N. C. *). Alteram Noster vidit in museo Britannico. Tria exemplaria ibi asseruantur, e Thuscia, vt dicitur adlata, emta a Cl. SLOANE, maximus lapis 300 libris Anglicis, duorum minorum quiuis 200. Hi lapides coloris sunt grisei subflaui, omnino opaci, nisi in marginibus tenuibus semipellucidi. Grauitatis specificae ad aquam vt 200: 100, limae vel chalybi obediunt, etsi vitrum scindant. Cultro aut lima dentati, item vitro affricti, puluerem subtilissimum dimittunt, vaporis aut fumi forma, simul videtur odor, sicut musci, oriri. Sed, cum non liceat fortius lapides aggredi, haec phaenomena summa certitudine sentiri non possunt. Textura videtur satis dura, sed rigida, acida nihil soluunt, colorem reddunt magis griseo flauum, post aliquot horas in priorem redeuntem. Maculae, ita ortae, non impediunt mutationes, quas lapis in fluidis subit. Maximus lapidum duabus horis, quibus in aqua iaceat, opus habet, vt clarescat; nec tamen adeo clarus fit, ac minores. Primum clarescit punctum aliquod ad centrum, vnde claritas paulatim se extendit versus margines, qui vltimo clarescunt. Minimus mox clarescit; sed a marginibus versus centrum dimidia hora totus clarus euadit. Ex aqua exemti opacitatem eo tempore, eoque ordine rursus adipiscuntur, quo illam perdiderant, aut paulo citius, si breui tempore in aqua fuerint. Maxi- p. 174.
mus, cum minutis 10 in aqua fuisset, pondus habuit parte sui decima auctum. Minor, cum aequali tempore in aqua fuisset, non, nisi extremos margines claros habuit, pondus autem magis auctum. Aliis 10 minutis pondus habuit parte sui quarta auctum, et adhuc 10 minutis in aqua relictus totus clarus euasit, semipellucidus omnino colorem referens

*) vid. comm. nostr. Vol. XVIII. p. 322.

electri ſaturate flauentis, pondus eius ad tertiam partem auctum. Diutius in aqua relictus, nec coloris, nec ponderis mutationem ſubiit.

Trimeſtre tertium.

p. 175. 1. *Obſeruationes Cometae* (1769) *Holmiae habitas* edit PETR. VARGENTIN.

p. 184. 2. *Eiusdem Cometae obſeruationes Vpſalienſes* exhibet ERIC. PROSPERIN, qui etiam, quae ad orbitam et motum cometae pertinent, computauit, calculis egregie cum obſeruationibus conſentientibus. Viae, inter aſtra apparentis, tabula exhibetur.

p. 189. 3. *De coementis ad lapides in muris ſtruendis conglutinandos* egit PETR. ADR. GADD Profeſſor chem. Oboenſis. Primum obſeruationes exhibet,
p. 190. quomodo ſe habeant naturae producta. Terram calcaream cum humo non indureſcere, parum dureſcere, argilla addita: argillas, ferro foetas, lapideſcere, ſi in aqua, aut terrae, aut pinguedini ex quocunque trium regnorum iungantur; et ſimilia. His, no-
p. 193. mine experimentorum *generalium*, ſubiunxit brevem hiſtoriam mortariorum et coementorum, variis
p. 198. in regionibus adhiberi ſolitorum; Sequuntur experimenta *ſpecialia*, quae Ipſe inſtituit coementa faciendo, quorum baſes eſſent calx, argilla, gypſum. Quae ſingulis baſibus admiſcuerit, et quomodo mixturas tractauerit, exponit. Experimenta ſimilia inſtituit plura quam 200, quorum hic 82 recenſet. Singulas mixturas, cum annis ſeptem in loco quodam, vbi ſiccabantur, iacuiſſent, aquae indidit per tempus decem minutorum, et narrat, quae nihil aquae imbiberint, quae ab aqua molliores factae fuerint.

Hinc

Hinc conſectaria generalia deducit, vt, coementum maxime firmum naſci ex calce, ferro, aut terra, ferro foeta, admixta debita proportione pinguedinis. Picem liquidam, ſaponacea, acida vegetabilia aut mineralia, minuere bonitatem coementi. Melius eſſe, vt calx ſtatim, cum ea coemento adhibetur, extinguatur; non vero longo tempore ante: terram ferro foetam, quae in ſcorias aut calcem abierit, cohaeſionem minorem efficere, ferro, ſub forma metallica adhibito. Igitur ſcoriis aut calci ferri phlogiſton adiiciendum eſſe, vt metallica natura reſtituatur. Lateres, conſueto more igne paratos, comminutos, addito ſufficiente phlogiſto, cum calce efficere ſuccedaneum terrae Puteolanae; et plura alia, quae ipſa leganturin hac diſſertatione, plurimum ad vſus architecturae practicae faciente. p. 203.

4. *Experimenta circa tartarum vini et eius acidum* inſtituit ANDR. IOHAN. RETZIVS Phil. mag. Occaſio fuit, quod in vſum praelectionum ſuarum pharmaceuticarum examinare vellet, num recte quidam aſſererent, acidum tamarindorum, tartarum ex ſolutionibus ſuis praecipitare. Itaque ſolutioni cryſtallorum tartari admiſcuit tum infuſum tamarindorum, tum acetum, item acidum malorum citrinorum; nullam vero praecipitationem obtinuit. Cum vero tartarus eſſet ſali vnitus, e. c. tartaro ſolubili et tartariſato, ſali DE SEIGNETTE; cremor tartari promte a praedictis acidis praecipitabatur. Vt TOVRNEFORTII ſententiam examinaret, acidum tamarindorum easdem proprietates habere, ac tartarum, collegit cryſtallos ſquamoſas, quae ex decocto tamarindorum ſaturato decidunt, dum per aliquod tempus quieſcit: has lotas, ſolutas, lixiuio ſalis tartari ad perfectum ſal medium ſaturauit. p. 207. p. 208. p. 209.

Huic ſalis medii lixiuio admiſcuit infuſum clarum tamarindorum; praecipitatus eſt puluis acidus, omnino cremori tartari ſimilis, niſi quod fuſcus eſſet. Idem accidit adfuſo ſucco malorum citrinorum, aceto vini, aut acido minerali. Haec cum referret ingenioſo pharmaciae cultori, cui SCHEELE nomen eſt, retulit is, continuaſſe ſe MARGGRAFII (*Chymiſche Schriften*. 2. *Theil*), experimenta cum tartaro et creta inſtituta, et, cum cretam, ita acido tartari ſaturatam, cum acido vitrioli digereret, puriſſimum liquidum acidum tartari obtinuiſſe, proprietatibus ſuis ab aliis omnibus acidis diuerſum. Simul experimenta ſua cum Noſtro communicauit, vnde ad alia circa hanc rem inſtituenda RETZIVS
p. 210. citatus eſt, quae iam edit. *Primum* hoc eſt: libram cryſtallorum tartari puluerisatarum in vaſe ſtanneum coniecit, additis tribus menſuris (*lbs*) aquae, tamdiu ebullientis ad ignem, donec cryſtalli omnes eſſent ſolutae. Admiſcuit cretam, in tenerrum puluerem redactam, nulla arena inquinatam; qualibet admixtione ſolutio parum coquebatur, et agitabatur. Quae fiebant, donec a creta adiecta nulla amplius ebullitio oriretur, et liquor clarus ſuperſtans nihil ſaporis acidi oſtenderet: tunc filtrabatur liquor, et maſſa, in filtro reſidua, aqua frigida ſoluebatur. Liquore filtrato, euaporato ad ſiccitatem, obtinebatur tartarus tartariſatus.
p. 212. Reſiduum in filtro, quod vocant ſelenitem tartareum, partim in vmbra ſiccabatur, reliquo ſuperfundebantur circiter vnciae 10 boni ſpiritus vitrioli, vaſe in calore leni repoſito. Ebulliebat mixtura: cum omnia quieuiſſent, maſſa ſuperſtans erat clara. Cum horas 24 ſtetiſſet, decantabatur liquor, reliquo nouus ſpiritus vitrioli ſuperfundebatur, et ſic pergebatur, quamdiu ſupereſſet aliquid acidi tartari in creta, quod examinabatur, particula

cretae

cretae, carbonibus iniecta, quae acidum odore tartari vsti prodebat. Acida salis et nitri, licet acido tartari aufferre possint terram suam calcaream; minus tamen idonea sunt huic operationi, quia fluida manent, et sic acido tartari separato miscentur: acidum vitrioli cum terra cretae gypsum efficit, minus in aqua solubile. Acidum tartari, primis tribus p. 213. adfusionibus spiritus vitrioli obtentum, miscebat. An liberum esset ab acido vitrioli ita examinabat: miscebat acidum tartari solutioni sachari saturni, quo sacharum coagulabatur: coagulo superfundebat purum spiritum nitri, omnia rursus soluentem, si nullum acidum vitrioli supersit. Hoc modo optime detegi praesentiam ac. vitr. monet, etiam cum nihil ad eam rem faciat, oleum calcis aut solutus merc. sublimatus. Hinc eam methodum examinandis aquis mineralibus commendat. Aceto vini, bene concentrato, optime soluitur coagulum. Ita examinatum acidum tartari, et euaporatione aliquantum condensatum, vocat acidum purum tartari, et plura cum illo experimenta instituit, quae hic transcribere longum esset, pauca specimina consectariorum, quae ex illis colligit, afferemus. Cum hoc acidum vini e retorta vitrea destillaret, igne adeo vehemente, vt fundus vasis canderet, transiit in recipientem spiritus et oleum p. 217. tartari, mansit in fundo vasis carbo niger, leuis, omni salis vestigio orbus. Hic miratur, acidum illud tartari, quod lingua vix tolerat, tam facile destrui, cum vas luto optime esset clausum, nihil vero saporis acidi ineesset, nec ei, quod in recipientem transierat, nec carboni. Carbo hic, cum esset vera terra vitrificabilis, nullum vestigium salis lixiuiosi ostendit, indicio, vt credit Noster, vulgares rationes de ortu salium lixiuiosorum in igne falsas

eſſe. Plures alias chymicorum hypotheſes experimentis ſuis dubias reddi exiſtimat.

p. 226. 5. *Aletris Capenſis* deſcribitur a IO. ANDR. MVRRAY Prof. Bot. Gottingenſ. Ac. Reg. ſcient. Suec. ſocio. Binae plantae floruerunt in horto botanico Gottingenſi 1769, ſemina etiam maturauerunt, educatae ſunt e ſeminibus, circiter 10 annos ante ſatis; alteri ſimus datus, altera ſaltim in caldario ſeruata, vnde prior multo procerior, et perfectior euaſit: quaedam etiam diſcrimina oſten-
p. 231. derunt, ab hac cultura ſine dubio oriunda. In priore limbus florum inferiorum diſciſſus erat in 8 labia, ſaepius in 7, ſuperiorum in 6; tot etiam habebat in floribus ſingulis ſecunda. Stamina plantae maioris in floribus inferioribus 8, ſaepiſſime 7, rariſſime 6; ſed ſuperiorum ſingularum 6; tot etiam florum plantae minoris, vno, qui 7 habebat, excepto. Itaque, iudicium ex plurimis for-
p. 232. mando, planta pertinet ad hexandrias. Partes fructificationis proxime accedunt ad genera *Aloes*, *Hyacinthi*, *Alethridis*, et *Polyanthes*. Primum adeo accedere Noſtro viſa eſt ad *Aloen vuariam*, vt fere, videretur Ipſi, *vuariam*, a reliquis *Aloes* ſpeciebus, a quibus imprimis foliis membranaceis differt, remouendam eſſe, et cum hac planta in vnum genus coniungendam. Habet tamen vuaria, vt aloes reliquae, filamenta, receptaculo inſerta; MVRRAYI planta corollae. Eadem planta, quod nulla mellis receptacula habeat, corollae marginem vero erectum, et capſulam oblongam tres alas haben-
p. 233. tem, ab *Hyacintho* differt. Corollae ſuperficies glabra, cum rugoſam *Aletridis* corollam LINNAEVS ſtatuat Syſt. nat. ed. XII. p. 248. etc. Vnde credit Noſter, ſi florentem hanc plantam Archiater vidiſſet, vel genericum characterem *Aletridis* mutaturum fuiſſe,

fuisse, vel hanc plantam ab hoc genere separaturum *).

6. *In naturam seri hydropici, seri sanguinis, et seri albentis* inquirit PETR. ZETZELE, med. D. p. 235.
exercituum Regior. medic. Adhibuit serum hydropicum a femina, hydrope laborante, paracenthesi obtentum; sanguinem a venaesectione alius feminae, crustam inflammatoriam habentem, seruatum 30 horas post venaesectionem, in conclaui 14 gradibus thermometri Suecici calente, denique sanguinem a venaesectione feminae 50 annorum, missum hora decima matutina, horis 12 post coenam. Is p. 236.
sanguis effluens alte rubebat; sed statim post, ad margines in bullis aereis aliquid, lactis ad modum albescens, apparebat; sequebantur, variis in locis maculae albae, et, cum cruor ima occupasset, serum omne, lactis more, album apparebat. Has tres seri species numeris I, II, III, distinguit. Hydropici differentias ab aqua vulgari has expertus est. Calore ignis coit in massam, albumini oui similem, quae p. 237.
carbonibus iniecta odorem spargit cornu vsti: admixtis acido nitri, lapide infernali, mercurio sublimato, solutione mercurii in spiritu nitri, coit in massam caseosam; admixtis vitriolo albo et spiritu vini rectificato, coit in coagulum, cremori lactis simile; cum alumine in coagulum, sebum facie et ipso gustu referens; in igne vero exhibens phaenomena, non pinguedinis, sed albuminis oui: cum mercurio tritum, aliquid aethiopi minerali simile, etsi non perfectum, efficit: neque enim apparent globuli mercuriales, si, quod tritura effectum est, aqua diluatur, contra apparent, si euaporatione humidum minuatur. Contra sequentibus momentis serum hydropicum accedit ad serum p. 244.
sangui-

*) vid. LINN. mant. II. p. 368.

p. 244. ſanguinis: vtriusque color plerumque ad flauum accedit, ſapor peculiari modo ſalſus eſt, cum acidis neutrum ſerorum efferueſcit, nec a ſalibus lixiuiis mutatur, ab acido nitri et mercurio ſublimato in maſſam caſeoſam coagulantur, a vitriolo et ſpiritu vini in aliquid cremori lactis ſimile, ab alumine in maſſam firmiorem; vtrumque diues eſt materia gelatinoſa vel cornea, quae poſt euaporationem admodum ſubſtantiae gummoſae, apparet fragilis, non ſolubilis in aqua pura, aut in ſalis ammoniaci, aut nitri ſolutionibus, nec in tritura in aqua; ſed igni iniecta, cornuum, oſſium, aut capillorum
p. 245. ambuſtorum odorem ſpargit. Huius ſubſtantiae gelatinoſae, ad phlegma, quod euaporatione abierat, ratio erat in ſero hydropico — 1 : 15, in ſero ſanguinis vt 1 : 10. Hinc explicat Noſter maciem et proſtrationem virium hydropicorum, partibus nutritionis, cum ſero illo hydropico in loco, vbi nutrire corpus non poſſunt, delatis. Tertium ſerum, album illud, quod ſupernatat ſanguini ex vena miſſo, perperam pro lacte ſumi, monet, propter ſolum colorem. Non enim caſeum efficit cum aceto, ſed calore coagulatur, et poſt euaporationem, maſſam corneam, in aqua non ſolubilem, relinquit, vt conſuetum ſerum ſanguinis, ſimiliter ab acido nitri, aut alumine in caſeum coit, ab acido ſalis in coagulum, minus cohaerens, cremori lactis ſimile. Tritura, cum argento viuo inſtituta, eadem oſtendit, quae ſerum ſanguinis. Praeterea, ſi conſideremus, quot et quam varia fluida ex omnibus partibus corporis chylo admiſceantur, antequam ſubclauiam ſanguini ſe iuncturus intrat, perſpicuum eſſe credit, proprium chylum, multo maiore copia aliorum liquidorum corporis noſtri
p. 247. tunc eſſe velut ſuffocatum. Albidum hoc ſerum plures particulas oleoſas, ſero vulgari ſanguinis

continuisse ostendit, pars solida residua ad phlegma, quod euaporatione abierat, erat in ratione 1: 6: hoc residuum a residuo corneo feri sanguinis paululum differebat, ita scilicet, vt postulabat maior copia oleosarum et mucilaginosarum particularum, illi admixtarum. Itaque hoc serum album non diversum existimat a succo corporis nostri nutritiuo, qualis venas intrat, antequam motu decomposítus sit. Ceterum ex eo, quod mercurius viuus, cum fero tritus, aethiopis speciem exhibeat, ac, postquam in vapores abiit, phlegma globulorum forma appareat, explicat, cur in cadaueribus eorum, qui mercurio vsi sunt, cum omnia siccata sunt, mercurius forma rotunda reperiatur, interdum ossibus, ac si argento essent obducta, adhaerens. p. 249.

7. *Defluxum glaciei et aquae incrementa, in flumine ad Torneam vere* 1769 describit FRID. MALLET. Obs. Reg. Astr. cum maiora haec phaenomena tunc fuerint, quam ante animaduersa. p. 249.

Trimestre quartum.

1. *Instrumentum, grauitati specificae liquorum examinandae idoneum*, describit IAC. FAGGOT. Est ex eorum genere, quae areometra vocantur, tubi diuisionibus, vt Noster credit, singularem in modum vsui facili et exacto aptatum. Occasione cereuisiae docet methodum, fermentum ab exigua quantitate augendi. p. 255. p. 268.

2. *Sua de instrumentis, fluidorum densitati examinandae aptis, cogitata* explicat IO. CAR. WILKE. Vulgaria instrumenta, qualia vitrea sunt, praeter maiorem globulum, eorum alium inferiorem habentia, qui plumbo ingesto oneratur, variis imperfectionibus p. 270.

ctionibus laborant. Iis praefert Noſter id, quo poſt DE SAGVLIERS et alios Cl. FAGGOT vſus eſt, metallicum, cuius globus, inferius prominentem habet cylindrum, in cochleam deſinentem, ei cochleae alia aliaque pondera pro inſtrumento variis in liquoribus aliter deprimendo applicantur. Cl. WILKIVS vero ſuadet, vt ne inſtrumenti tubus prominens ſit, vt vulgo in plures gradus diuiſus; ſed vnam habeat notam, quae ſit in ſuperficie aquae purae pluuiae, aut niuis liquatae. Ad eandem notam in liquoribus grauioribus deprimitur inſtrumentum impoſitis ponduſculis paruo receptaculo, quoad in ſupremo tubo firmatur. (ſimile quid ſuaſit LEVTMANNVS *Comm. Ac. Petropol.* T. V.

p. 286. 3. *Calceolariam pinnatam* deſcribit CAR. A. LINNE'. Planta Peruuiana opera CL. FEVIL-
p. 290. LE'E innotuit. Inprimis haec ſpecies foliis roridis diſtinguitur, quibus ſaepiſſime adhaerent ti-
pulae mortuae. Corolla labiis ſubgloboſis diſtin-
p. 291. guitur. Amat terram minus cohaerentem, humidam, tolerat ventum, optime in vrceis educanda.

p. 292. 4. *De vſu mercurii gummoſi**) refert IO. L. ODHELIVS M. D. aulae Reg. medic. Remedium hoc, Viennae commendatum, adhibuit ſex feminis in noſocomio Regio. Vidit ſolutionem hanc mercurii in gummi Arabico vſum praeſtare in morbis venereis: quibus enim illam adhibuit, omnes ſanatae
p. 296. exierunt. Ventriculum non laedit, ſed ſaliuationem plerumque mouet; illam tamen non, niſi leuem. Neque certus eſt, an aegrae antea mercurium alia forma adhibuerint.

5. *De*

*) vid. comm. noſtr. ſecund. decad. Suppl. II. p. 274

5. *De captura Gadi Callariae* LINN. (*Torsk* Germ. *Dorſch*) refert N. CHR. FRIIS, ut ante *de Halece.* (*Trim. II. diſſ.* 8.*) p. 315.

6. *Experimenta de vſu Ipecacuanhae, exiguis doſibus datae*, narrat NIC. DALBERG M. D. medic. Reg. In haemorrhagiis vteri, quae per aliquot dies duraverant, deiectis eam ob cauſam aegrarum viribus, dedit tertiam grani partem ipecacuanhae, pulueris forma ſcrup. ſacchari mixtae, aliquando duo grana mixta duobus drachmis ſacchari, in octo partes diuiſa, horis alternis aut ternis ſumendas. Fluxum pauciorem ſtatim aegrae ſenſerunt, ex quo initium fecerunt medicamenti ſumendi, et omnes paucis diebus ſanatae ſunt. Itaque contra haemorrhagias vteri commendat hanc radicem, exiguis doſibus tutiorem vitro cerato antimonii. Adhibuit illam eadem quantitate cum fructu, in tuſſi, qua ſanguis eiiciebatur, ſed iunctis aliis medicamentis, vnde hic de eius vſu nil decernit. Nullo tamen periculo adhiberi aſſerit, cum nec augeat eiectionem ſanguinis, vomitus forte accedent, nec tam exigua doſi radix cieat vomitum in adultis. Bonos eius effectus vidit in tuſſi rheumatica imo et pleuritica. Leuatur tuſſis et interdum lenitur. Itaque hoc medicamento vti poſſunt infantes, et qui abhorrent medicamenta, nullo ventriculi periculo, quod afferunt pinguia et dulcia. Vſui igitur eſſe poteſt in pleuritide et peripneumonia, contra tuſſim, vbi commendatur radix Senegae, quae ipſa, maiori doſi exhibita, vomitum mouet. p. 316. p. 318. p. 319. p. 320.

7. *Additamentum* ad diſſertat. praec. exhibet PETR. IO. BERGIVS M. D. hiſt. nat. et pharm. prof. et aſſeſſ. Varios medicos citat, qui roborantem adſtringentem vim ipecacuanhae agnouerint, ipſa-

*) vid. ſupra. p. 401.

ipſaque contra haemorrhagias, etiam vteri, vſi ſint; exiguas etiam doſes commendauerint; ſed illas intellexerunt, aliquot granorum; nemo ad DALBERGII particulas grani deſcendit. Noſter etiam feminae contra haemorrhagias vteri puluerem ex dimidio grano ipecacuanhae et 12 granis ſacchari praeſcripſit felici euentu. Huic feminae puluerés illi, ieiuno ventriculo ingeſti, nauſeam excitarunt, quam vitauit mane, antequam eas ſumere incepiſſet, ientaculum comedendo.

p. 324. 8. *Gyrini natatoris hiſtoriam* ſcribit ADOLPH MODEER, ingeniarius. Inſectum deſcribit ROESEL *Inſ. bel.* 3. *th. p.* 197. *Tab. ſuppl.* 31. ſed larvas, cum, quare veſcerentur, neſciret, educare p. 328. non potuit. Noſtro igitur quaedam hic ſupplere contigit. Femina contra, ac ROESELIVS ait, facile a mare diſtinguitur, colore, quem Noſter vberius deſcribit et aculeis duobus, ex extremo corporis prominentibus, quibus oua Noſter credit illam ponere; vnum ex quouis aculeo, quo citius opus ſub aqua, ſub qua diu durare non poteſt, abſoluat, aut altero aculeorum oua ponere, alte-
p. 333. ro reſpirare. Sed hae ſaltim Eius coniecturae ſunt, nihil horum Ipſe vidit. Deſcribit deinde pupam, quam ſtruit larua, plerumque ad arundinis folium aut aliam plantam aquaticam, ſemper ſupra aquam, diuerſa ea in re a larua *Dytiſci*, quae terram litoris intrat. Laruae, vt animalia rapacia viuunt. In pupis metamorphoſin expectantes: multae pereunt ouis alicuius ichneumonis, quam etiam deſcri-
p. 334. bit. Haec vnica *Gyrini* ſpecies eſt, huc vſque in Europa cognita; MVLLERVS tamen Danus, ob operam, in hiſtoriam inprimis inſectorum collocatam, celebris, ſcripſit Noſtro, aliam ſe ſpeciem inveniſſe. Americana, quam a SPERGLERO acce-

ptam

ptam, LINNAEVS intulit Syſtemati nat. ed. XII. p. 568. elytris laeuibus differt a cognita; et quod dimidio minor eſt; labium oris ciliatum habet *Gyrinorum* Europaeorum ſexus vterque.

9. *Protuberantiae terrae inutiles in pratis poſtquam reſectae ſunt, quomodo loca, ita aperta, vſui aptentur*, docet GVST. FRID. HIORTBERG praepoſ. et paſtor. Colliculi illi in pratis, in quibus nihil creſcit, reſecantur in Suecia aratro, ad id negotium comparato, aut ſpata. Quae hic facta ſunt, velut terrae vulnera, ea hyeme aperta relinquuntur, vt rimas agat terra iis in locis, in quas intrent futuro anno ſerenda. Scilicet, dum autumno horti et agri purgantur ab herbis inutilibus inprimis a *Tritico repente:* haec in cumulum conſiciantur, pauxillo terrae fabuloſae tecta, tritici plantae in partes ſecentur. Haec ſerantur in illa, quae dicta ſunt, terrae vulnera, cylindro graui ſuperducto comminuantur. Ita mox omnia laeta virent, inprimis hic tritici repentis magna virtus eſt. p. 341.

10. Ex diario Academiae refertur, Comitem CRONSTEDT poſtea, quae fieri iuſſerat contra *phalaenam brumatam* (Trim. I. diſſ. 3.) hoc anno nullas omnino eius phalaenae laruas in horto ſuo habuiſſe, cum vicini illis abundarent. Neque, cum eodem autumno repeterentur, vlla phalaenarum capta eſt. Conſiliarium ADLERHEIM, laruas habuiſſe, ſed multo pauciores, quam aliis annis, ſimiliter autumno multo pauciores cepit phalaenas. p. 344.

II.

CAROLI A LINNÉ, Equ. Aur. Mantiſſa plantarum altera, Generum editionis VI. et Specierum editionis II. Holmiae, impenſis direct. Laurentii Saluii. 1771. 8. alph. 1. plagg. 8.

Illuſtris LINNAEVS in hac altera mantiſſa, quae ſparſa in aduerſariis notata inuenerat, cum obſeruationibus curioſioribus, publici iuris reddit, ita, vt eam cum priori mantiſſa paginis coniungat. Continetur vero hic magna nouorum generum ſpecierumque, et animalium, et plantarum copia: atque reperimus, Ill. Auctorem vnam quaerere veritatem, neque dictis ſuis parcere, ſed, quae naturae repugnent, ſollicite corrigere, diligentiſſimeque rerum naturalium attendere definitionem. Differentias enim ſpecificas, viſis ſpecimínibus pulchrioribus frequenter emendauit, ſynonyma dubia excluſit, melioraque, praeſertim icones bonas, commemorauit. Nos iam, Syſtema naturae ſequentes, animalia noua primo recenſeamus, vt poſtea vegetabilium numerum ex ordine queamus proſequi.

p. 521. Sunt igitur animalia, paſſim iam ab aliis indicata, nunc a Noſtro recepta, haec: ex *Mammalibus*

Homo *Lar*. *Gibbon* BVFF. vid. comm. noſtr. Vol hui. p. 342.

Simia *Nemaeus*. *Douc* EI. vid. ib. p. 343.

Simia *Sinica*. *Bonnet-chinois* EI. vid. ib.

Simia *argentata*. *Mico* EI. vid. ib. p. 344.

Felis *concolor*. *Couguar* EI. vid. ib. p. 347.

Lepus *puſillus*. vid. ib. Vol. XVIII. p. 625.

Mus

Mus *paludoſus*, cauda mediocri piloſa, palmis ſubtetradactylis, plantis pentadactylis, auriculis vellere breuioribus; ater: ad Sueciae foſſas habitans: cauda tota, pilis tecta, differt a M. *terreſtri*.

Ex *Auibus*, p. 524.

Lanius *leucorynus*, BRISS. *av.* 2. *t.* 18. *f.* 2. et comm. noſtr. Vol. XI. p. 596.

Lanius *bicolor*. *ib. t.* 16. *f.* 3.

Pſittacus *haematodes*. EDW. t. 232. BRISS. 4. p. 364.

Pſittacus *Aurora*. AVBENT. *miſc.* t. 13.

Pſittacus *Maſcarinus*. EI. t. 35.

Alcedo *tridactyla*, brachyura, ſupra caudaque rufis, ſubtus flaua, pedibus tridactylis.

Certhia *Caffra*, fuſca, pectore abdomineque pallidis, rectricibus intermediis longioribus.

Trochilus *Capenſis*, curuiroſtris, viridis, rectricibus intermediis longis, tectricibus alarum coeruleis.

Rallus *Capenſis*, ferrugineus, ſubtus albo nigroque faſciatus *).

Phaſianus *ſuperbus*, muticus, rufus, viridi coeruleoque varius, carunculis frontis ſubrotunda, palearium ſubulatis. **)

Tetrao *Senegallus*. AVBENT. *miſc.* t. 130.

Columba *vernans*. BRISS. *av.* 1. t. 11. f. 2. AVB. t. 138.

Columba *Auſtralis*. ib. t. 14. f. 2. ib. t. 111.

Sturnus *militaris*. AVB. t. 113.

Motacilla *boarula* EDW. t. 259. BRISS. 3. t. 43. f. 3.

Mota-

*) Has tres ſpecies miſit Noſtro D. EKENBERG.

**) Non viſus ab Ill. Auctore, ſed ex imagine, in Chinenſi libro viſa, deſcriptus.

Motacilla *Caffra*, oliuacea, gula caudaque ferrugineis, ſuperciliis albis.

Hirundo *Daurica*. Act. Stockh. 1769. com. noſtr. Vol. XVIII. p. 19.

Ex *Amphibiis*

Coluber *crotalinus* ſcutis 154, ſquamis 43.

E *Piſcibus*

Trigla *minuta*, digitis tribus, dorſo bicarinato. D. 5, 24. P. 3, 8. V. 6. A. 14. C. 10.

Trigla *Carolina*, digitis 3, pinna dorſalis parte priore aculeata. D. 10, 13. P. 15. V. 6. A. 12. C. 10.

Exocoethus *exſiliens*, pinnis ventralibus caudam attingentibus. D. 10. P. 15. V. 6. A. 11. C. 10.

Inſecta et vermes, cum nomina ſola vix quandam ideam clariorem afferant, et deſcriptiones hic excerpere ſuperfluum iudicemus, hic omittimus: id notantes, plura et exotica, et indigena praeſertim ad *Papilionis* et *Sphingis* genus pertinentia hic deſcripta legi. Quaedam vero, quae Ill. Auctor indefinitione animalium, in Syſtemate deſcriptorum, hic emendauit, breuiter repetamus. Sic *Viuerra Putorius**) dicitur praeditus eſſe dentibus *primoribus* ſuperioribus parallelis, depreſſis, aequalibus; inferioribus compreſſis; *laniaribus* ſuperioribus remotiusculis, inferioribus approximatis; *molaribus* quinque. *Delphinus Orca* et ſynonymis, et deſcriptione emendatur. *Mus*, cauda mediocri piloſa, pedibus pentadactylis, auriculis obſoletis, de quo, an *Citellus* ſit, quaerit, in Sibiria viuens deſcribitur. Sic etiam *Certhia violacea*, et *Turdus violaceus*, deſcriptione emendantur, ac, quae fuerat in Syſtemate *Emberiza Orix*, iam ad *Loxiae* genus refertur.

Acce-

*) vid. ſupra. p. 393.

Accedimus ad plantas, hic nouiter deſcriptas, p. 143.
earumque genera, quae ſunt quinquaginta octo, cum characteribus afferamus. 1. *Globba*: perianthium ſuperum, monophyllum, ore trilobo; corolla monopetala, cylindrica, ore trilobo aequali; filamenta 2, antherae iis adnatae; germen inferum, ſtylus ſetaceus, ſtigma acutum; capſula ſubrotunda, trilocularis. 2. *Calceolaria*: perianthium monophyllum, quadripartitum, patens, aequale; corolla monopetala bilabiata; labio inferiore reſupinato, calceiformi; filamenta 2, breuiſſima, antherae incumbentes, clauatae, manubrio per rimam prominulo; ſtylus breuiſſimus, ſtigma obtuſiuſculum; capſula ſubconica, bilocularis, 4valuis. *) 3. *Willichia:* perianthium monophyllum, quadri- p. 554.
fidum; corolla monopetala, rotata, calyce duplo longior; filamenta 3, limbo breuiora, antherae ſubrotundae, erectae; germen compreſſum, ſtylus declinatus ad diuiſuram limbi infimam, ſtigma obtuſum; capſula bilocularis, biualuis; ſemina plura. 4. *Rotala:* perianthium monophyllum, tubuloſum, tridentatum, corolla nulla, filamenta 3, longitudine calycis, antherae ſubrotundae; germen ouatum, ſtigma trifidum; capſula ſubtrigona, trilocularis. 5. *Aegiphila*: perianthium monophyllum, campanulatum, breuiſſimum; corolla monopetala; tubus calyce longior, limbus 4partitus; filamenta 4, longiora, antherae incumbentes, quadratae; ſtylus ſemibifidus, ſtigmata ſimplicia; bacca vnilocularis. **) 6. *Manettia:* perianthium 8phyllum, foliolis linearibus; corolla monopetala, hypocrateriformis, tubus calice longior, limbus 4partitus, laciniis intus barbatis; nectarium

*) vid. Act. Holm. 1770. comm. noſtr. ſupra. p. 402.

**) IACQVIN. obſ. 2. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 298.

rium, margo receptaculum ambiens, integerrimum, concauum; filamenta 4, minima, antherae lineares, incumbentes; germen inferum, turbinatum, ſtylus declinatus, ſtigma bifidum, obtuſum; capſula vnilocularis, biualuis; ſemina alata. 7. *Samara:* perianthium quadripartitum, minimum; petala quatuor, ouata, baſi lacuna longitudinali; filamenta quatuor, longa, petalis oppoſita, antherae ſubcordatae; ſtylus longior, ſtigma infundibuliforme; drupa ſubrotunda: et Memecylon vmbellatum BVRMANNI. vid. Zeyl. 26. t. 31. 8. *Sirium:* perianthium campanulatum coloratum; corolla nulla, nectarium 4phyllum, faucem calycis coronans; filamenta 4, fauci inſerta, baſi deorſum pilis obſita, antherae longitudine nectarii; germen conicum, ſtigma trifidum; bacca trilocularis. 9. *Acaena:* perianthium tetraphyllum; corolla nulla; filamenta 4, calici oppoſita, antherae 4 angulares, didymae; germen inferum, hiſpidum, ſtylus minimus, inflexus, ſtigma, membranula multifida; bacca ſicca. 10. *Scaeuola:* (eſt *Lobelia Plumieri* Spec.) perianthium breuiſſimum, quinquefidum; corolla monopetala, inaequalis; filamenta 5, receptaculo inſerta, antherae obtuſae; germen inferum, ſtylus ſupra craſſior, e fiſſura egreſſus, verſus limbum incuruatus, ſtigma applanatum, ore aperto; drupa puncto vmbilicata. 11. *Allamanda:* perianthium pentaphyllum; corolla monopetala, infundibuliformis, limbus ventricoſus; antherae quinque, ſagittatae; germen cinctum baſi margine annulari, ſtylus longitudine tubi, ſtigma capitatum. 12. *Porana:* perianthium pentaphyllum, foliolis in fructu grandioribus; corolla monopetala, campanulata; filamenta 5, patentia, corollae breuiora, antherae incumbentes, ouales; germen ſubglobоſum, ſtylus ſemibifidus,

fidus, corolla longior, ſtigmata capitata; pericarpium biualue. 13. *Heliconia*, quae erat in Syſtem. *Muſa Bihai*, iam diſtinguitur, petalis 3, nectario 2phyllo, filamentis 5, et capſula tricocca. 14. *Aquilicia:* (*Staphylaea Indica* BVRM. *ind.* 73.) perianthium monophyllum, turbinatum; petala 5, nectarium vrceolatum, ſquamis 5 geminatis, aliisque 5 ſimplicibus; filamenta 5, inſerta nectario, antherae cordatae; ſtylus longitudine nectarii, ſtigma obtuſum; bacca quinquelocularis. 15. *Linconia:* perianthium inferum, tetraphyllum; petala 5, nectarium in baſi petali; filamenta 5, marginata, antherae ſagittatae, auriculis dehiſcentibus; ſtyli 2, ſtriati. Eſt frutex alopecuroides, coridis folio et ſpica, flore albo. HERMAN. *afr.* 7. 16. *Xylophylla:* perianthium 5partitum, coloratum: corolla nulla; filamenta 5, breuiſſima; ſtyli tres breues, ſtigmata lacera; capſula ſubrotunda trilocularis, ſemina 2. An dioica? cum flores non viderit Ill. Auctor. 17. *Giſekia:* perianthium pentaphyllum; corolla nulla; filamenta 5, baſi ouata, breuia; germen retuſum, ſtyli 5, recuruati, ſtigmata obtuſa, capſulae 5, ſcabrae, ſemina ſolitaria. 18. *Tulpagia:* ſpatha biualuis, floribus pedunculatis; nectarium monopetalum, cylindricum, limbo 6partito; petala 6, inſidentia tubo, 3 in medio, 3 pone limbum; filamenta 6, 3 in fauce, 3 intra tubum; germen ſuperum, ſtigma turbinatum, cauum; capſula ſubtrigona: differt a *Narciſſo*, germine ſupero. 19. *Canaria:* (eſt *Campanula Canarienſis.* Spec. 238.) perianthium ſuperum, 6phyllum; corolla monopetala, campanulata, nectarium valuulis 6, receptaculum tegentibus; filamenta 6, nata e valuulis, antherae apice pendulae; germen hexagonum, ſtylus conicus, ſtigma clauatum, 6partitum, capſula ſexlocularis; ſemina parua. 20. *Capura:* calix nullus, corolla monopetala,

tubuloſa; filamenta vix vlla, antherae 6, alternis ſuperioribus; germen trigono ſubrotundum, truncatum, ſtylus breuiſſimus, ſtigma ſubgloboſum. 21. *Dodonaea*: (*Ptelea viſcoſa* Sp. plant.) perianthium 4phyllum; corolla nulla; filamenta 8, breviſſima, antherae arcuatae; germen triquetrum; ſtylus triſulcatus, ſtigma ſubtrifidum; capſula inflata trilocularis; ſemina 2. 22. *Ophira:* involucrum biualue, triflorum; corolla tetrapetala, ſuperne petalis conniuentibus; filamenta 8, germen inferum, turbinatum, ſtigma emarginatum; bacca vnilocularis. 23. *Guarea:* (*Trichilia Guarea.* Spec.) perianthium 1phyllum, 4partitum; petala 4, linearia, nectarium tubuloſum; antherae 8, adnatae intus nectario; germen globoſum, receptaculo cylindrico inſidens, ſtylus exſertus, ſtigma capitatum; capſula vmbilicato 4ſulca, 4locularis. 24. *Turraea:* perianthium 1phyllum, campanulatum; petala 5, linearia, nectarium cylindricum, 10dum; filamenta 10; germen ſubrotundum, ſtylus longitudine nectarii, ſtigma craſſiuſculum, rugoſum; capſula 5cocca; ſemina 2, reniformia. 25. *Dionaea:**)
p. 554. 26. *Murraea:* perianthium 1phyllum, 5partitum, minimum; petala 5, lanceolata, nectarium campanulatum; filamenta 10, longitudine floris; ſtylus ſtaminibus longior, ſtigma verrucoſum; bacca 1locularis, ſemen 1. 27. *Bergera:* perianthium 5partitum, minimum; petala 5, oblonga, patentia; filamenta 10, alterna breuiora, antherae rotundae; ſtylus clauatus, ſtigma turbinatum, transverſim ſulcatum; bacca ſubgloboſa. 28. *Triopteris:* **)
p. 151. 29. *Bergia:* perianthium 5partitum, patens;

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 526.

**) vid. Syſt. nat. p. 315. et comm. noſtr. Vol. XVI. p. 106.

patens; petala 5, oblonga, longitudine calicis; filamenta 10, ſetacea, antherae ſubrotundae; ſtyli quinque, breuiſſimi, ſtigmata ſimplicia; capſula ſimplex, ſubgloboſa, mucronata; ſemina multa. 30. *Befaria:* perianthium 1phyllum, deorſum gibbum, 7fidum; petala 7, ſuperne latiora; filamenta 14, alterna minora, antherae incumbentes; ſtylus perſiſtens, ſtigma 7ſtriatum. 31. *Fatica:* perianthium 1phyllum 5partitum; petala 5, elliptica; antherae 15, ſeſſiles; germen conicum, ſtylus 5ſtriatus, ſtigma obtuſum. 32. *Baſſia:* perianthium 4phyllum; corolla monopetala, campanulata; filamenta 16, 8 ſupra, 8 infra tubum; antherae lineares, ſagittatae; ſtylus corolla duplo longior, ſtigma acutum; drupa lacteſcens, nuces 5. p. 555. 33. *Munchauſia:* perianthium 1phyllum, turbinatum; petala 6, obouata, calyci inſerta; filamenta numeroſa, calyci inſerta, antherae reniformes; germen ouatum, ſtylus declinatus, ſtigma obtuſum; capſula ſexlocularis. p. 153. 34. *Trilix:* perianthium 3phyllum; petala 3, lanceolata, calyce minora; filamenta numeroſa, receptaculo inſerta, antherae didymae; germen pentagonum, ſtigma ſimplex; bacca 5locularis. 35. *Cariocar:* perianthium 5partitum, coloratum; petala 5, oualia; filamenta numeroſa, receptaculo inſerta, antherae oblongae; germen globoſum, ſtyli 4, pauciores, ſtigmata obtuſa; drupa maxima; nuces 4. 36. *Lindernia:* (*Capraria gratioloides* Spec. 876.) perianthium 5partitum; corolla monopetala, ringens, labio ſuperiore breuiſſimo, emarginato, inferiore trifido; filamenta quatuor, didyma 2 breuiora, adſcendentia, antherae didymae; ſtigma emarginatum; capſula oualis, vnilocularis; ſemina numeroſa. 37. *Premna:* perianthium 1phyllum, campanulatum, ſubbilobum; corolla monope-

tala, irregularis, tubulosa, ore quadrifido, obtuso; filamenta 4, erecta, 2 breuiora, (hinc *didynamia*) antherae subrotundae; germen subrotundum, stylus breuior, stigma bifidum; bacca 4locularis; semina solitaria, ossea. 38. *Hyobanche:* perianthium 7phyllum; corolla monopetala ringens, labio inferiore nullo; filamenta 4, didyma, 2 breuiora, antherae ouatae, dehiscentes latere superiori; germen ouatum, stylus apice incuruus, stigma incrassatum, emarginatum; capsula bilocularis. 39. *Lerchea:* perianthium 1 phyllum, tubulosum, 5 dentatum; corolla 1 petala, infundibuliformis; antherae 5, sessiles, monadelphae; germen subouatum, tubo obtuso; stylus longitudine staminum, stigmata 2, s. 3, obtusiuscula; capsula 3 vel
p. 556. 2 locularis. 40. *Gordonia:* (*Hypericum Lasanthus* Spec.) perianthium 5phyllum; petala 5, obouata, basi vnita; filamenta multa, coalita in corpus obtusum, antherae ouales, erectae; germen ouatum, stylus breuis, 5gonus, stigmata 5, acuta;
p. 156. capsula 5locularis; semina 2. 41. *Liparia:* perianthium 1phyllum, semiquinquefidum, laciniа infima longissima, petaloidea; corolla papilionacea, vexillum conduplicatum, lateribus reflexis, alae margine inferiore bilobae, carina basi bipartita; filamenta diadelpha, simplex et 9fidum; germen breuissimum; legumen ouatum. 42. *Glabraria:* perianthium 1phyllum, tubulosum, 5fidum; petala 5, lanceolata, nectarium, setae subulatae, germen cingentes; filamenta 30, senis senisque basi connexis, (hinc *polyadelphia*) antherae reniformes; germen subgloboſum, stylus longitudine staminum, stigma simplex; drupa vniocularis. 43. *Eclipta:* calix communis polyphyllus, squamosus; corolla composita radiata, radii feminea, disci hermaphrodita, propria hermaphro-

ditis

ditis 4fida; hermaphroditis filamenta 4, breuiſſima, anthera cylindrica; ſemina mutica, receptaculum paleaceum. 44. *Bellium:* calix communis foliolis cymbiformibus; corolla compoſita radiata, propria hermaphroditis quadrifida, femineis emarginata; filamenta 4, anthera cylindrica; germen turbinatum; ſemina turbinata, corona paleacea, 8phylla, rotundata; pappus ariſtis 8, ſimplicibus. 45. *Baltimora:* calix communis cylindricus; corolla compoſita radiata, propria hermaphroditis 5fida tomentoſa, femineis trifida; filamenta 5, anthera cylindrica; femineis germen oblongum, ſtigmata 2, corolla longiora; ſemina femineis triquetra, apice gibba; receptaculum paleaceum. 46. *Hippia:* (*Tanacetum frutescens* Spec. 1183.) calix communis hemiſphaericus; cor. compoſ. tubuloſa, propria maſculis 5fida, femineis obſoleta ſubtrifida; filamenta 5, anthera cylindrica; femineis germen marginatum, magnum, ſtylus bifidus; receptaculum nudum. 47. *Oedera:* (*Buphthalmum Capense* Spec. 1274. ad *Polygamiam ſegregatam* relatum) calix communis floribus maior, ſquarroſus, partialis floſculis aequalis; corollae partiales radiatae; propria diſci hermaphrodita 5fida, feminea ligulata, longitudine calicis communis; filamenta 5, anthera cylindrica; germen oblongum, ſtigmata 2, filiformia; ſemina coronata paleis plurimis; receptaculum commune et partiale paleaceum. 48. *Salacia:* perianthium 1phyllum, 5partitum, breuiſſimum; petala 5, ſubrotunda, ſeſſilia; antherae 3, didymae, inſidentes germinis apici; germen ſubrotundum, calyce maius, ſtylus breuiſſimus, ſtigma ſimplex. 49. *Gluta:* perianthium 1phyllum, campanulatum, deciduum; petala 5, lanceolata, calice longiora, ſuperne patentia, inferne agglutinata germini; filamenta 5, germini impoſita, antherae verſatiles; columnae ob-

longae insidens germen obouatum. 50. *Littorella* (*monoecia*, est *Plantago vniflora*. Spec. 167.) *masculi*: perianthium 4phyllum, erectum; corolla monopetala, 4partita; filamenta 4, longissima, antherae cordatae. *feminei*: corolla monopetala, conica, trifida; germen oblongum, stylus longissimus; nux vnilocularis. 51. *Clibadium*: (quod ad *monoeciam* refert, cum tamen ad *polygamiam* pertineat) calix communis imbricatus; corolla composita, corollulis tubulosis, infundibuliformibus, corollulae disci hermaphroditae, pedicellatae, radii femineae; filamenta hermaphroditis 5, antherae approximatae; hermaphroditis germen minimum, superum, stigma simplex, femineis germen inferum, stigma bipartitum, et drupa vmbilicata, semen vnum, compressum. 52. *Agyneia* (*monoecia*): *masculi*: perianthium 6phyllum; corolla nulla; antherae 3. s. 4. monadelphae; *feminei* superiores, calix et corolla vt prioris; germen magnitudine calicis, subouatum, perforatum, apice foraminulo 6crenato, stylus stigmaque nulla. 53. *Elegia*, (*dioecia*) *mas*: Spathae intra spathas, remotae, vniualues; spadix filiformis, articulatus, ad singula genicula amento laxo, flosculis pedicellatis, interstinctis bractea, flosculis longiore; perianthium proprium 6phyllum, paleaceum, corolla nulla; filamenta 3, breuissima, antherae incumbentes, perianthio maiores. *Femina*: spatha spadixque et corolla vti prioris, amentum racemo composito, perianthium proprium 6phyllum, valuulis interioribus petaloideis; germen oblongum, styli 3. 54. *Hermas* (*polygamia* est *Bupleurum villosum* Spec. 343.). *Hermaphroditae* vmbella terminalis, eiusque radius centralis tantum florifer, inuolucrum vniuersale polyphyllum, partiale subdiphyllum; petala 5, oblongo ouata, integra; filamenta 5, antherae steriles; germen inferum,

rum, compreſſum, corolla maius, ſtyli 2, fructus orbiculatus, ſemina 2. *Maſculae*, vmbellae laterales ſeriores, eiusdem plantae; partes, vti prioris, praeter filamenta, quae corollae ſunt longitudine, et antheras polliniferas, ouales. 55. *Spinifex*, *hermaphroditis maſculisque* floribus in eadem gluma calicis praedita eſt: quae eſt biualuis; valuulis rachi parallelis; corollae gluma biualuis, calice longior, nectarium valuulis 2; filamenta 3, antherae lineares; germen oblongum, ſtyli 2; ſpica diſticha. 56. *Maniſuris: hermaphroditis et maſculis* in eadem ſpica; calicis gluma biualuis, vniflora; corollae gluma 2valuis, calice minor; germen ouatum; maſculis gluma valuulis ſtriatis, filamenta 3. 57. *Cryſitrix: Hermaphroditae* calicis glumae biualues, plures, imbricatae, valuulis cartilagineis; corollae paleae numeroſiſſimae congeſtae in faſciculum, coloratae, perſiſtentes; filamenta ſolitaria, anthera linearis; germen oblongum, obtuſum; *Mas* in diſtincta planta, partibus ſimilibus, praeter germen, praeditus. 58. *Stilbe*: *Hermaphroditae* perianthium duplex, exterius triphyllum, interius 1phyllum; corolla monopetala infundibuliformis, 5partita; filamenta 4, antherae cordatae; germen ſuperum, ſtylus filiformis, ſtigma acutum. *Hermaphroditi* in diſtincto indiuiduo; partes eaedem.

Huic nouorum generum numero additi ſunt p. 166. characteres 1, *Cycadis*, quam ad *Filices* refert, cum pollen ſit nudum, absque anthera; deſcriptione hac: *Mas:* amentum ſtrobiliforme, ſquamis ſpathulatis, coloratis; corolla deeſt; pollen inſperſum paginae ſuperiori ſquamarum amenti, ſeſſile, diſſiliens ad longitudinem: *Femina* in alia ſtirpe: ſpadix ſimpliciſſimus, anceps, acuminatus, corolla nulla, germina ſolitaria, ſpa-

ſpadicis angulis vltra medium immerſa; ſtylus cylindricus, ſtigma ſimplex; drupa oualis, nux lignea. 2. *Eriocauli*, quod ad *monoeciam* eſt relatum, filamentis 4, germine ſupero, ſtylo ſetaceo, bipartito, ſtigmatibus ſimplicibus, capſula dicocca; 3. *Illicii*, quod iam pertinet ad polyandriam polygyniam, perianthio 6phyllo, petalis 17. 4. *Napaeae*, quam ad *polygamiam dioeciam* refert; nos tamen in vna ſtirpe vidimus flores hermaphroditos et mares; 5. *Brabeii*, quod iam pertinet ad *polygamiam monoeciam*, ſuntque maſculis floribus, amentum, corolla infundibuliformis, 4fida, hermaphroditae character prius datus; atque 6. *Dalechampiae*; cui eſt inuolucrum commune duplex; maſculis vmbella pedunculata, ſimplex, inuolucellum diphyllum, perianthium proprium, 5phyllum, pedicellatum; femineis perianthium proprium, inferum, 11phyllum.

In obſeruationibus etiam, praeter genera dicta et ea, quae iam in Syſtematis editione duodecima ad alias claſſes vel ordines relata ſunt, ſequentia videmus mutata.

p. 331. *Fuchſia* ex tetrandria monogynia ad octandriam monogyniam.

Hamamelis ex tetrandria tetragynia ad polygamiam.

p. 377. *Laurus* ad dioeciam enneandriam.

p. 395. *Plinia* ex polyandria monogynia ad icoſandriam monogyniam referuntur.

p. 402. Inſuper *Rhodorae*, et *Microcos* (quae eſt ſpecies *Grewiae*) genera tota expungenda iubet.

His de generibus dictis nunc ad ſpecies accedamus. Hic primo mutationes cum ex mantiſſa, tum

tum ex obſeruationibus, omiſſis, quae iam in Syſtematis recenſione indicauimus *), referamus; deinde ex nouis praecipuas, nobis notatu dignas, ſeligamus. Igitur, praeter ſpecies, quibus iam noui generis iura dedit, ad alia genera multae relatae ſunt. Sic *Leucadendra pinifolium* (mant. 1. 36.) p. 187. *Serraria*, *cyanoides*, *hirtum*, *cucullatum*, *repens*, *cynaroides*, *Lepidocarpodendron*, *ſpecioſum* (mant. 1. 36.), *Hypophyllocarpodendron*, *argenteum*, ad *Proteae* genus, retentis nominibus triuialibus, relata ſunt, et *Leucadendron proteoides* dicitur *Protea purpurea*. **) Ex varietatibus *Proteae coniferae* tres ſunt ſpecies factae, diciturque var. β. *Protea conifera*, var. γ. *Protea pallens*, var. α. *Protea ſaligna*.

Praeterea

Selago *dubia*	eſt Eranthemum *anguſtatum*.	p. 171.
Ixia *hirſuta* (mant. 1. 27.)	– Wachendorfia *paniculata*.	p. 320. 511.
Commelina *axillaris*	– Tradeſcantia *caule ramoſo*, *floribus ſeſſilibus lateralibus*.	p. 321.
Aira *Indica*	– Panicum *conglomeratum*.	p. 324.
Aira *coerulea*	– Melica *coerulea*.	
Feſtuca *maritima*	– Triticum *maritimum*; cum flores omnino ſpicati.	p. 325.
Galium *rotundifolium*	– Aſperula *rotundifolia*.	p. 330.
Tomex *tomentoſa* ***)	– Callicarpa *lanata*.	p. 331.

Sola-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 304. ſeq.

**) Has ſpecies nominat Noſter; at p. 327. dicit *Proteae* genus omnino recipere debere *Leucadendra*, cum limites non dentur.

***) Delendum igitur totum hoc genus.

p. 335.	Lyſimachia *tenella*	eſt Anagallis *tenella*, cum filamenta villoſa, capſula circumciſſa.
p. 205.	Solanum *Guineenſe*	– Atropa *ſolanacea*.
p. 221.	Phyllanthus *epiphyllanthus*	– Xylophylla *latifolia*.
p. 211.	Craſſula *portulacaria*	– Claytonia *portulacaria* *)
p. 213.	Achyranthes *brachiata*	– Illecebrum *brachiatum*.
p. 344.	Achyranthes *ſanguinolenta*	– Illecebrum *ſanguinolentum*.
	Achyranthes *lanata*	– Illecebrum *lanatum*.
	Celoſia *lanata*	– Illecebrum, *caule herbaceo erecto, tomentoſo, foliolis alternis* **).
p. 346. et 215.	Periploca *tenuifolia*	– Ceropegia *tenuifolia*.
p. 349.	Gentiana *perfoliata*	– Chlorae *ſpecies*.
p. 350.	Tordylium *latifolium*	– Caucalis *latifolia*.
p. 357.	Seſeli *pumilum*	– Pimpinella *pumila* ***).
	Mollugo *ſpergula*	– Pharnaceum *Mollugo*.
p. 358.	Amaryllis *Zeylanica*	– Crini *ſpecies*.
p. 368.	Aloe *Vuaria*	– Alethris *Vuaria*.
p. 388.	Cotyledon *ſpinoſa*	– Craſſula *ſpinoſa*.
	Silene *porrigens*	– Saponaria *porrigens*.

Euphor-

*) Floruit in horto Venetiis.

**) An haec et praecedens eaedem? deſcriptiones fere conueniunt, ſynonyma differunt; nomen triuiale poſteriori non datum.

***) Monet Noſter eſſe dioicam plantam, proximam *Pimpinellae glaucae*, aut diſtincti generis.

Euphorbia *viminalis*	eſt	Cynanchum *viminale.*	p. 392.
Satureia *Virginica*	–	Thymus *Virginicus.*	p. 409.
Cheiranthus *lacerus*	–	Heſperis *lacera.*	p. 428.
Dolichos *trilobus*	–	Glycine *triloba.*	p. 442.
Trifolium *fruticans* *)	–	Pſoralea *bracteata.*	p. 264.
Lotus *proſtratus*	–	Ononis *proſtrata.*	p. 266.
Lotus *Mauritanicus*	–	Ononis *Mauritanica.*	
Hedyſarum *proſtratum*	–	Indigofera *enneaphylla.*	
Aſtragalus *biflorus* huius mant. 223	–	Crotalaria *biflora.*	p. 271. et 572.
Serratula *Babylonica*	–	Centaurea *Babylonica.*	p. 460.
Carlina *Atractylis*	–	Gorteria.	
Ageratum *altiſſimum*	–	Eupatorium **).	
Tanacetum *crithmifolium*	–	Athanaſia *critmif.*	
Gnaphalium *ſordidum*	–	Conyza *ſordida.*	
Aſter *polifolius*	–	Inula *coerulea.*	
Pectis *minuta*	–	Bellium minutum.	p. 285.
Verbeſina *pſeudacmella*	–	Spilanthus	p. 475.
Verbeſina *alba*	–	Eclipta *erecta.*	
Verbeſiina *proſtrata*	–	Eclipta *proſtrata.*	
Tetragonotheca *helianthoides*	–	Polymnia *tetragonotheca.*	
Gorteria *fruticoſa*	–	Atractylis *oppoſitifolia.*	p. 516.
Matricaria *Capenſis*	–	Cotula *radiata.*	
Cineraria *othonnites*	–	Othonna *fruteſcens.*	
Senecio *rigens*	–	Othonna *paruiflora.*	
Buphthalmum *ſpecioſiſſimum*	eſt	Silphium.	
Seriphium *corymbiferum*	eſt	Stoebe *gnaphaloides.*	p. 518.
Selago *ericoides*	–	Stilbe *ericoides.*	
Selago *pinaſtra*	–	Stilbe *pinaſtra.*	

Quaedam varietates tanquam ſpecies aſſumtae ſunt: vt

Oxalidis *hirtae* var. β.	dicitur	Oxalis *ſeſſifolia.*	
Seriphii *fuſci* var. β.	–	Seriphium *gnaphaloides.*	

Con-

*) Igitur *Ononis trifoliata* Syſt. nat. eadem planta.
**) vid. Hort. Vpſal. p. 254. n. 5.

Contra plures ſpecies vt varietates ad alias acceſſerunt, vt itaque ſint excludendae. Ita ad *Sedum rubens* referuntur vt varietates 1. *Craſſula rubens*. 2. *Craſſula verticillaris* Syſt. 3. p. 230. 3. *Sedum cylindricum* GERARDI: prov. 428. *Lobelia comoſa* componitur ex *Lobelia triquetra* Mant. 120. et *comoſa* Spec. 1323. Praeterea excluduntur, atque vt varietates referuntur

Horminum *Virginicum* ad Saluiam *lyratam*.
Agroſtis *interrupta* – Agroſtidem *Spicam venti*.
Pulmonaria *hirta* ad Hyoſcyamum *phyſaloden*.
Campanula *alpina* ad C. *rhomboidalem*.
Erica *carnea* – E. *herbaceam*.
Erica *paruiflora* – E. *pubeſcentem*.
Saxifraga *Groenlandica* – S. *caeſpitoſam*.
Arenaria *ciliata* – A. *multicaulem*.
Crataegus *viridis* – C. *coccineam*.
Teucrium *mucronatum* – T. *ſpinoſum*.
Leonurus *Indicus* – Phlomidem *Zeylanicam*.
Heſperis *Sibirica* – H. *matronalem*.
Heſperis *dentata* – Siſymbrium *burſaefol.*
Aſtragalus *ſulcatus* – A. *auſtriacum*.
Lactuca *viroſa* – L. *ſcariolam*.
Bidens *piloſa* – B. *Chinenſem*.
Athanaſia *laeuigata* – A. *dentatam*.
Chryſanth. *montanum* – C. *Leucanthemum*.
Cotula *grandis* – Chryſanthemum *floſculoſum*.
Anacyclus *Valentinus* – Anthemidem *Valentinam*.
Anthemis *leucantha* – Ofmitem *camphoratam*.
Arctotis *anguſtifolia* – A. *radicantem* *)
Achillea *inodora* – Athanaſiam *annuam*.

Clutia

*) Eſt ſpecies hic primum conſtituta, *caulibus repentibus, arachnoideo albis, foliis lyratis vtrinque bidentatis*, dicta.

Clutia *androgyna* ad Andrachnem *fruticoſam.* p. 519.
Pteris *heterophylla* – Oſmundam *criſpam.* p. 505.
Polypodium *Luſitanium* – Trichomanem *Canarienſem.*
Fucus *muſcoides* – F. *aculeatum.*

Deinde quasdam plane excludendas iuſſit, atque nullibi eas refert, vt

Phyllis *Indica.* Caucalis *platycarpos.* Pimpinellae *Saxifragae* var. γ. δ. ε. Barreria *Capenſis.* Fragaria *muricata.* Sida *rhombifolia* var. β. Serapias *longifolia*, cui ſubſtituatur *integra* Syſtematis.

De multis Ipſe Ill. Auctor dubius eſt, nonnullasque arbitrio botanicorum committit. *Ilicem Do-* p. 333.
donaeam excludendam quidem affirmat, dubius tamen, an *Comocladiae* ſpecies. Praeterea *Symphytum tuberoſum* vix ab *officinali* differre: *Primulam Vita-* p. 335.
lianam, cum ſemina 5, eſſe forſan, Ill. HALLERO auctore, *Aretiae* ſpeciem: *Solanum fuſcatum* forte va- p. 339.
rietatem *Sol. Campechienſis: Ericas coccineam, cur-* p. 373.
viſloram, *tubiſloram* ſimillimas, vt fere varietates: *Lapſanam Rhagadiolum* forte meram varietatem p. 460.
Lapſanae ſtellatae, ſed conſtantem: *Artemiſiam* p. 465.
ambiguam forte *Seriphii* ſpeciem, ob pappum apice plumoſum. *Vrticas piluliferam*, *Balearicam*, *Dodartii* p. 495.
fere eſſe varietates, conſtantes tamen.

Ex *Pinu Taeda* duas conſtituit ſpecies, alteram p. 496.
foliis trinis longiſſimis. MILL. dict. 14; alteram *foliis trinis*, *conis longioribus*, *ſquamis rigidioribus.* MILL. dict. 10. *Tanacetum ſuffruticoſum* et *Co-* p. 467.
tulam tanacetifoliam, quae in Syſtemate coniunxerat, iterum diſtinguit; vti etiam *Artemiſiam minimam*, et *Ethuliam diuaricatam*, in mantiſſa priori coniunctas, diuerſiſſimas dicit. *Xeranthemi cane-*

ſcentis et *imbricati* deſcriptiones in Speciebus ita ſunt mutandae, vt caneſcentis pertineat ad imbricatam, huiusque ad illam. *Caſſine Peragua* Spec. p. 384. dicitur *Capenſis*, definiturque *foliis ſerratis petiolatis, ouatis, obtuſis, ramulis tetragonis*, ac ſynonyma omnia, ibi dicta, huc refert; aliaque deſcribitur ſub nomine *Peragua*, *foliis ſerratis, petiolatis, ellipticis, acutiuſculis, ramulis ancipitibus* (MILL. t. 83. f. 1.): etſi haec mutatio non aperte ab Ill. Auctore indicatur. Quasdam in Speciebus falſe definitas, hic, retentis prioribus nominibus, denuo definit: vt

p. 322. Panicum *alopecuroideum*, ſpica tereti, inuolucellis ſetaceis, faſciculatis, biflоris; pedunculis villoſis.

p. 205. Solanum *Bonarienſe*, caule inermi fruticoſo, foliis ouato oblongis, ſinuato repandis, ſcabris.

p. 349. Eryngium *alpinum*, foliis digitatis, laciniatis, ſuborbiculatis, capitulo oblongo polyphyllo, paleis ſetaceis, trifidis.

p. 274. Aſtragalus *Epiglottis*, cauleſcens procumbens, leguminibus capitatis, ſeſſilibus, cernuis, cordatis, mucronatis, replicatis, nudis; atque definitio prius data ad nouam *Hypoglotin* pertinet.

Nomina quaedam triuialia etiam mutauit. *Biſcutella didyma* dicitur *apula*; *Plinia pinnata* dicenda vel *crocea*, vel *pentapetala*. Cum duas *Saluias Aegyptiacae* nomine inſigniuerit, poſteriorem, in Mantiſſa 1. p. 26. dictam, *ſpinoſam* nunc nominat. *Napaea*, cum genus, ex mente Ill. Auctoris, ad *polygamiam dioeciam* pertineat, *hermaphrodita* iam *laeuis*, et *dioica*, *ſcabra* dicitur.

Haec ſufficiant de mutationibus dicta; paucas iam ex inſigni nouarum ſpecierum copia excerpamus

mus. *Iuſticia faſtuoſa, fruticoſa foliis ellipticis, thyrſis terminalibus*, Arabiae felicis incola, recedit floris calyce laeui, magnitudineque grani tritici a congeneribus, ac ſi genere eſſet diſtincta. p. 172.

Ex *Schoeni, Cyperi*, et *Scirpi* ſpeciebus, pluribus, a Cl. KOENIG ex Capite bonae ſpei miſſis notemus *Scirpum Hottentottum, culmo triquetro folioſo, capitulo ſubgloboſo, ſquamis lanceolatis, hirtis*. p. 182.

Agroſtidis Matrellae, floribus racemoſis, calycum valuula exteriore incurua, carinae apice tantum dehiſcente, character fructificationis ſingularis, vt quaſi proprii generis; calycis valuula exterior compreſſa, rigida, clauſa, interior incluſa, filamenta breuia, antherae haſtatae, germen lineare. p. 185.

Inter quatuor *Phyllicae* ſpecies eſt *racemoſa, foliis ouatis glabris, floribus ſimplicibus, paniculato racemoſis*, cuius character ſingularis, vt videatur diſtincti generis. p. 209.

Rhus ſuccedanea, foliis pinnatis integerrimis, perennantibus, lucidis: petiolo integro aequali; KAEMPF. amoen. t. 795. habitat in Iaponia: quae magnitudine foliorum, a *Rhoe Vernice*, cui affinis, praeſertim diuerſa eſt. p. 221.

Oenothera longiflora, caulibus ſimplicibus piloſis, petalis diſtantibus, bilobis: in agro Bonarienſe habitat, differens ab *Oenothera molliſſima*, foliis latioribus, nec mollibus, caule non ramoſo, a *paruiflora*, floribus maioribus. p. 228.

Ex viginti *Ericae* ſpeciebus, quae plurimae Capitis bonae ſpei ſunt incolae, a Cl. BERGIO communicatae, *melantherae*, mentionem iniiciamus, *antheris muticis mediocribus, corollis campanulatis patentibus, calyce colorato longioribus, foliis ternis patulis*. p. 229.

Laurus Culilaban, foliis triplineruiis oppoſitis, quae eſt *Cortex caryophylloides* RVMPH. amb. 2. t. 14. cuius, cum ſingulare ſit, dari in *Lauri* genere folia oppoſita, diſquiſitionem Ill. Auctor commendat.

Fumaria lutea, ſiliquis teretibus, caulibus diffuſis: p. 258.

fusis: angulis obtusis, quae similllima *Capnoidi*, huc iusque synonyma BAVHINI, DALECAMPII, et PLVKENETI in speciebus excludantur, et ad *Isatidem* referantur. *Aspalathi* decem nouae Capenses species constituuntur. *Lipariae* genus duae certae constituunt species, *sphaerica*, *floribus capitatis*, *foliis lanceolatis*, *neruosis*, *glabris*, quae stamine decimo separato characterem generis dedit; et *graminifolia*, *floribus capitatis*, *foliis alternis linearibus*, *acutis*, *sessilibus*, *calycibus villosis*; vtraeque Capenses. Quaeritque Noster, an ad hoc genus, stamine decimo separato, spectent 1. *Borbonia umbellata*. 2. *Spartium Capense*. 3. *Borbonia tomentosa*; 4. et alia, priori affinis, *sericea* dicta. *Croton Benzoe*, *foliis linearibus*, *subrepandis*, *nudis*; *venis rubris*: vnde *Benzoe* officinarum, neque a *Lauro Benzoe*, vti vult COMMELINVS. Fructificationem quidem non vidit Noster, sed ex statura, lactescentia, ramis, *Cascarilla*, iudicat *Crotonis* speciem. Muscos ex HVDSONIS Flora Anglica apposuit. Addit *Ginkgo bilobam*, cuius arborem viuam dedit GORDONIVS: fructificatio hactenus, praeter, quae habet KAEMPFERVS amoen. fas. 813. nondum innotuit.

p. 263.

p. 268.

p. 297.

p. 313.

III.

Syſtema mineralogicum, quo corpora mineralia in claſſes, ordines, genera et ſpecies, ſuis cum varietatibus diuiſa, deſcribuntur, atque obſeruationibus, experimentis et figuris aeneis illuſtrantur a IOHANNE GOTSCHALCK WALLERIO, equite ordin. Reg. Waſaei, chemiae, metallurg. et pharmaceut. profeſſ. Reg. ord. et emer. Vpſ. academ. imper. nat. curioſ. nec non R. R. academ. Stockh. et Vpſal. membr. Tomus I. In quo *Terrae* et *Lapides* deſcribuntur; cum indice quadruplici. Holmiae. Impenſis direct. Laurentii Saluii 1772. 8. Alph. 1. plagg. 6½. tabb. aen. 1.

Etſi inſignis in rebus mineralogicis Ill. Auctoris doctrina, atque praeclarum in diſquirendis corporibus ſtudium, ſingularisque felicitas iudicii, adeo iam omnibus placuit, vt Eum mineralogorum principem facile quisque agnoſceret; Ipſe tamen, edito ſuo *regno minerali* *) non otioſus fuit ſpectator, ſed, quantum potuit, corpora mineralia non collegit ſolum diligentiſſime, verum acquiſita etiam rigoroſo ſubiecit examini, atque inſtituit plurima circa eadem experimenta, aliorumque praeſtantiſſimorum Auctorum ſcripta et obſeruata cum ſuis ſtudioſe comparauit. Ex quibus cum ſuis, tum alienis experimentis et obſeruationibus, enatum ſyſtema mineralogicum iam Lectoribus offeramus, quod plurimis certe numeris abſolutum,

*) Prodiit illud lingua Suecana ſub inſcriptione *Mineral Riket indelt och beſkrifvit, af* IOH. GOTSCH. WALLERIVS. *Stockh.* 1747. 8.

obſeruationibusque diues, non ſiccus mineralium index eſt habendum. Scripſit illud Latino ſermone, additis Suecicis, Gallicis, Germanicisque nominibus; inter quae tamen poſteriorum nonnulla, vix vbiuis recepta, Germanisque incognita, reperimus. Retinuit methodum, in Regno minerali receptam, nouisque multis ordinibus, generibus, ſpeciebus, varietatibusque receptis. Characteres et ab habitu in igne, et ab indole in acidis mineralibus, et a ſignis extrinſecis deſumit *). Nomina plerumque, prius data, retinuit, diligentiſſimeque, quod prae omnibus laudem meretur, in extricandis aliorum nominibus, praeſertim Ill. LINNAEI et CRONSTAEDTII fuit occupatus: a quorum ſi opinione receſſerit, modeſtia laudabili rationes ſuas addit: figuras lapidum, ſalium, et ex petrificatis figuratisque eorum corporum, quorum icones nondum vidit expreſſas, appoſuit, aliorumque icones ſuis locis indicauit. Breuitatis ſtudioſi nos diuiſionem Ill. Auctoris, generum nomina et characteres ſpecificos, ſpecies nouas, vel quas ad alia genera reduxit, recenſeamus, ſeligamusque ex obſeruationibus notatu digniores.

p. 1. Mineralia creſcere ſine vita, ſine ſucco in vaſis circulante; atque naſci quatuor modis exiſtimat Noſter, *concretione*, ſi particulae terreſtres glutine compinguntur, *coagulatione*, ſi ſolutae particulae conſolidatione ſimultanea condenſantur, *cryſtalliſatione*, ac *petrificatione*. Diuidit poſtea omnia mineralia, quoad originem et figuram in *naturalia*, et *peregrina*; ex indole vero priora in *Terras*, *Lapides*, ſalia, ſulphura et metalla, quae vno *Minerae* nomine comprehendit; peregrina autem

*) cf. EIVSD. lucubrationes academicae. Spec. I. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 225.

autem dicit *Concreta:* quatuor hinc claſſes conſtitutae.

Terras minerales in quatuor iterum partitur ordines, in *macras*, *pingues*, *minerales* ac *duras*. Ad macras, quas etiam calcareas dici poſſe concedit, haec refert genera: 1. *Humus:* conſtat particulis ſcabris, inaequalibus, minus duris, cum acidis efferueſcit, inflammabili praedita eſt, igne fuſorio in vitrum abit, ac vegetabilis vel animalis corporis veſtigia exhibet. 2. *Creta:* farinaceis, ſicis, inquinantibus conſtat particulis, cum acidis feruet, in igne calcem praebet, per ſe non fuſibilis, aquam ſorbens. 3. *Terra gypſea*: cuius vnam tantum ſpeciem, *farina foſſilis* dictam affert, dicitur mollis, farinacea, particulis nitidis praedita, cum acidis non efferueſcere; ſolui tamen ad partem: in igne vſta friabilis, facile, ſale admixto, finditur. 4. *Terra Manganenſis*, vel *magneſiae:* eſt attactu arida, ſicca; non efferueſcit cum acidis, ſoluitur tamen ab iis; cum aqua mixta pulueruleuta manet, funditur in ſcoriam nigram, addito borace in vitrum rubrum vel violaceum.

p. 13. p. 25. p. 34. p. 36.

Secundum ordinem conſtituunt *Terrae tenaces* vel *pingues*, in eo conuenientes, quod conſtent particulis ſubtiliſſimis, compactis et tenacibus, ac glabrae ſint, politae niteant, aquas reſorbeant, retineant, et ductiles fiant, in igne indurentur, vel fundantur, in ſcorias ſ. vitrum. Earum genera ſunt 5. *Argilla:* quae acidis mineralibus non mouetur; ſoluitur tamen ab acido vitriolico ad partem. 6. *Marga:* eſt terra compoſita ab argilla et calcarea terra, plus minus lubrica, in aquam proiecta, bullulas excitat, deinde finditur diſſoluiturque, in aëre fatiſcit, rudis cum acidis efferueſcit, igne induratur, fortiori finditur.

p. 38. p. 68.

p. 79. *Terrae minerales*, vel *ochrae* tertio ordine complectuntur, quas vel mixtas, vel metallicas praecipitatas assumit. Ceterum eas hic breuiter tantum indicat, sub classe tertia *Minerarum* vberius descripturus.

p. 84. Quartus ordo sistit *Terras duras* medias inter terreas lapideasque, quae vel plane non, vel hr. missime cohaerent, asperae sunt, aquam parum absorbent, et cum calce mixtae indurantur. Monet Noster, hunc ordinem, cum ex facie externa, tum ob duritiem diuidi potuisse; sed cum a recepta diuisione nollet recedere, genera ita distinxit, vt vel vno, vel binis possent comprehendi ordi-
p. 85. bus. Sunt vero ea: 7. *Glarea*: facie terrestri, arenaceis, terreis, et argillaceis particulis mixta, aqua tarde emollitur, posteaque in glebas mutatur: aere indurescit, admixta calce in cementum durum concrescit. 8. *Tripela*: est terra macra, sicca, subtilioribus durisque particulis constans, aspera, sapore cretaceo, aquam fugens, quae ab acidis mineralibus non mouetur; in igne vero indurescit, colore mutatur, fortissimo igne
p. 95. crusta vitrea obducitur. 9. *Caementum*: ita nominat terram, particulis puluerulentis, durisque compositam, quae aquas attrahat, et calce consolidatur, acidis non mouetur, fusorio igne in vitrum opalinum funditur, et in locis, montibus igniuomis vicinis, reperitur. 10. *Arena*: quae caret cohaesione, aspera est, dura, ac sicca, aqua neque emollitur, nec soluitur; grauior tamen redditur cum calce mixta, aqua accedente indurescit.

p. 115. Lapides Noster in quinque dispescit ordines, *calcareos*, *vitrescentes*, *fusibiles*, *apyros* ac *saxa*.
p. 117. *Calcarei*, sunt lapides minus duri, ab acidis mineralibus soluendi, qui in igne per se non funduntur,

tur, ſed in poroſam conſiſtentiam, vel puluerem abeunt, vel in fruſtula diſſiliunt; cum borace vero, vel, admixta argilla, omnes funduntur. Huc ſequentia refert genera. 11. *Calcareum:* qui conſtet particulis incerta figura, facie terreſtri, cum ſale ammoniaco praebeat calcinatus, ſub tritura, ſpiritum volatilem vrinoſum: diuiditurque iterum in duo genera inferiora, *Calcareum rudem*, qui polituram non admittat, et *Marmor*, colore eminentiore praeditum, politura ſplendens. 12. *Spatum:* cuius differentia a calcareo conſiſtit in particulis cubicis, vel rhomboidalibus, facie nitida, ſtructura lamellari, difficiliori calcinatione, et grauitate ſpecifica maiori. 13. *Gypſum:* lapis figura vel rhomboidali et globoſa mixtis, vel rhomboidali lamellari, aut fibroſa, qui in fruſtula abeat indeterminatae figurae, vel lamellas, vel fibras; duritie inter lapides fere minima gaudeat, aere facillime deſtruatur, atque ſit ſolubilis; igne leniori vſtum, aqua admixta, odorem ingratum ſpargat, igne fuſorio in vitrum flauo viride mutetur, ac cum acidis mineralibus non efferueſcat. 14. *Fluorem mineralem:* qui faciem offerat lapidum vitreſcibilium, fractura abeat in figuram incertam, calcareis gypſoque durior ſit; non tamen ad chalybem ſcintillet; leniori igne phoſphoreſcat, calcinatorio decrepitet, fuſorio fundatur, difficulter quidem, in vitrum gypſoſum; non moueatur ab acidis mineralibus, ſub coctura ſoluatur ab iis, atque alcalino ſale praecipitetur terra ſoluta alba, ac grauitate gaudeat magna. p. 118. p. 136. p. 153. p. 171.

Lapides *vitreſcentes*, ſecundum ordinem conſtituentes, ſunt vitrea facie, duriſſimi, quorum puluis, cum aqua mixtus, poſteaque ſiccatus in maſſam coit fere lapideam; cum acidis mineralibus non efferueſcunt, non funduntur, niſi admixtis p. 184.

p. 186. aut ſalibus alcalinis fixis, aut borace. Genera eorum ſunt haec: 15. *Cor:* particulis conſtat globoſis, vel arenoſis, vel vtrisque (ideoque, vtrobis videtur, eſſet ad lapides mixtos, vel ſaxa referenda,) plerumque fracta reperitur, duritie eſt diuerſa praedita, recenter fracta mollior, aere indureſcens: in igne calcinatorio in arenam abit, in fuſorio interdum funditur, cum ac-
p. 204. dis non mouetur. 16. *Spatum ſcintillans:* eſt compoſitum particulis cubicis, vel rhomboidalibus, duritie ad chalybem ſcintillante praeditum, maiori quam *Fluor mineralis*, minori, quam *Quarzum;* cito phosphoreſcit, in aere non mutatur, in igne fit fragilius, in fuſorio cito in maſſam compingitur, facile cum ſalibus alcalinis fixis, calce, et argilla in vitrum funditur, non mouetur
p. 209. acidis mineralibus. *) 17. *Quarzum:* quod fractum apparet nitidum, ac ſi granulis conſtet coliquatis, interdum ſuſcipit figuram ſexangularem cum hexaedro apice: diſſilit in fruſtula incerta figurae, acutangula: duritie eximia, limae tamen duriori cedit, polituramque admittit: in aere eſt immutabile, vt et in igne calcinatorio non fit leuius, fragilius vero et colore mutatum: in fuſorio cum calce vel fluore minerali funditur, acidis immutabile. Diuiditur iterum et in *Quarzum rude*, et *pellucidum cryſtalliſatum*, vel *cryſtallum montanum*.
p. 230. 18. *Gemmae*: Lapides facie ſplendente, particulis figurae determinatae, ſtructura intrinſeca lamellares, duritie omnes reliquos ſuperant, atque attritu, non igne, fiunt electrici; calcinatorio igne non mutandi, fuſorio, non, niſi borace vel ſalibus alca-

*) Primo nunc hoc genus conſtituit, quod in *Mineralogia* ad Spatum retulit.

alcalinis additis, funduntur. *) 19. *Granati:* con- p. 249.
ſtant particulis inuiſibilibus, facie vitrea nitent, figura ſaepius determinata; ſtructura intrinſeca vel *Quarzo* ſimiles, vel lamellati; duritie ad chalybem ſcintillant, lima raſibiles; calcinatione diluciores fiunt, et pondere minuuntur; fortiori vero igne funduntur, cum acidis mineralibus non moventur; grauitate ſpecifica gemmis maiori praediti, paſſim in venis montium reperiuntur. 20. *Sili-* p. 257.
ces, Petroſilices, Achati: coniungit hos tres lapides vno genere, cum conueniant particulis inviſibilibus, ſuperficie laeui, ſtructura intrinſeca ſint maxime ſolidi, fractura abeant in fruſtula conuexa; duritie eadem cum *Cryſtallo montana* ſint praediti, phoſphoreſcant, calcinatione albeſcant et fundantur; non, niſi additis ſalibus, fundantur *Silices*, opacos, ſemipellucidos, eos hic ſolum intelligit, qui in ſolitariis glebulis ſint nati. *Petroſilices* textura rudiores, molliores, non politurum admittunt. *Achati* ſemipellucidi, duri, ſplendent, ſuſcipiuntque polituram. **) 21. *Iaſpis:* dif- p. 296.
fert a priori genere facie terreſtri, fractura inordinata, duritie inter *Petroſilicem* et *Achatem* media; poſtea, quod non phoſphoreſcat, aere mutetur, calcinatione non diffringatur, nec colorem amittat, ac, ſalibus additis, fundatur: ab acidis mineralibus, non moueatur, cum *Quarzo* aequali gaudeat grauitate.

Ordine tertio, quem primum hic conſtituit, p. 307.
Lapides fuſibiles recenſentur, qui, cum textura ſint molli-

*) In *Mineralogia* genus *Cryſtalli* conſtitutum eſt, quod comprehendit *Quarzum pellucidum* et *Gemmas*, ad quas et *Granati* fuerunt relati.

**) Hoc genus in priori editione erat diuiſum, et *Petroſilices* ad *Iaſpidem* relati.

molliori, lima radi poſſunt, faciliusque in pulueren conteri, cum acidis mineralibus non efferueſcunt; ſoluuntur vero ab iis; in igne non, niſi fuſcum mutantur. Ex his proprietatibus Noſter huc re-
p. 309. fert lapides ſequentes. 22. *Zeoliticos* et *Baſalticos:*, qui textura *Petrofilici* non ſunt diſſimiles, at fragmenta indeterminata diſſiliunt; interdum ver columnarem truncatam lateribus irregularibus ſcipiunt: duritie, inter calcareos et vitreſcentes media, ad chalybem non ſcintillant: calcinatio-
p. 310. ne finduntur expandunturque. *Zeolitem* ve trea facie, facili acidis ſolutione, in puncto fu ſionis phoſphoreſcentem, particulis metallicis non immixtum, vagum, diſtinguit a *Baſalte*
p. 317. qui colore viridi, aut nigro, ferro ſemper par ticipat, in venis montium reperitur, difficilius funditur, nec phoſphoreſcit, et ab aqua fortiori
p. 326. partem tantum ſoluitur. 23. *Manganenſes* vel *Magneſiam:* differunt hi lapides facie, metallicis ſimili, ſtriis nitentibus, inquinantibus compoſiti, digitis frangi poſſunt; interdum radiatam, rhomboidalem, vel cubicam aſſumunt figuram, et calcinatione pondere minuuntur.
p. 335. 24. *Fiſſiles* vel *Schiſtos:* ſtructura ſunt lamellari, fractae transuerſim lamellae indeterminatam accipiunt figuram, duritie diuerſa, in aere vel citius, vel tardius deſtruuntur: calcinatione decrepitant, diſſiliuntque in frustula
p. 351. ſquamoſa, odorem varium ſpargentes. 25. *Margaceos* vel *Margodes:* facie argillacea, aut calcarea, molles, in aere facile deſtruuntur, calcinatione indureſcunt, cum acidis mineralibus efferueſcunt.
p. 355. Sunt igitur margacea terra indurata. 26. *Cornos:* hi conſtant particulis minimis, facie terreſtri, ſtructura ſolida, fractura plerumque abeunt in fragmenta indeterminata, chalybe raſibiles, rimam a raſura, ſuſcipiunt cineream, calcinatione indu-

indurantur, in venis reperiuntur, vel proprios conſtituunt montes.

Ordo quartus *Lapides apyros* recenſet. Sunt molles, et lubrici, cum acidis mineralibus non efferuescunt, plerumque, non, niſi additis ſalibus, vel aliis fuſionem iuuantibus, funduntur. 27. *Lapides micacei*: compoſiti lamellis flexilibus, pellucidis, nitentibus, in aere colore mutantur, ſub calcinatione fragiles fiunt, et colorem album aut flauum induunt, fortiori fuſorio igne ſoli funduntur. Hos in *Micam*, et *Talcum* diuidit. 28. *L. ſteatitici*: ſunt praediti particulis minimis argillaceis, conſiſtentia ſolidi, in aere indureſcunt, aquam attrahunt, ea tamen non emolliuntur, calcinatione indurantur, per ſe non funduntur. 29. *Aſbeſtus* et *Amiantus*: qui ſunt ſtructura vel fibroſa, vel lamellari, calcinatione albeſcunt, ſub ſpeculo cauſtico funduntur; reliqua ſigna, quibusdam ſpeciebus propria, ad earum definitionem pertinent: ceterum hoc genus prius diſtinxerat.

Vltimo ſ. quinto ordine *Saxa*, lapides ex prioribus mixti conſiderantur; quos, ad minores varietates non attendens, Noſter in duo diuidit genera, in 30. *Saxa mixta*: quae a diuerſis lapidum ſpeciebus ita ſunt compoſiti, quaſi in ſtatu liquido commixti eſſent, et poſtea ſolidi facti. Haec in quinque inferiora diuidit genera a) *Granitas*: ſaxa dura, granularia, ſolida, ad chalybem ſcintillantia, non fiſſilia, vix in ſtratis reperiunda. b) *Saxa fornacum* et *molaria*, in eo tantum a prioribus diuerſa, quod ſint fiſſilia atque in ſtratis, et venis recumbant. c) *Porphyrea*, non fiſſilia, nec granularia. d) *Cornea* molliora, fiſſilia, facie terrea, metallifera. e) *Venoſa* et *glanduloſa*. 31. et *Saxa aggregata* vel *petroſa*: quae ab aliorum lapidum, aut ſaxorum fruſtulis, mediante alia materia,

p. 365. p. 367. p. 379. p. 391. p. 404. p. 405. p. 426.

ria, inter se, vel cum arena; vel aliis lapidibus concreuerunt.

Omnium generum, ab Ill. Auctore constitutorum, maluimus characteres tradere, quam hinc inde quaedam delibare; nunc vero in specierum recensione paucis eas excerpamus, in quibus nunc primo vel a priori in regno mineralogico denominatione, vel a LINNAEO aut CRONSTADTIO recedit. Primo eas indicemus, quas prius, vt species, nunc tanquam varietates ad alias refert. Ita

Creta *Bathensis* et *Guhr* } vt varietates pertinent ad G. *calcem nativam.*

Creta *Cimolia purpurescens* et *viridis* } constituunt Cretam *coloratam.*

Gypsum *Phosphorus Bononiensis* est varietas Gypsi *spatosi.*

Crystallus *Pseudo Rubinus*
P. Saphirus
P. Topacius
P. Smaragdus
obscura
rubro fusca
fusca } constituunt Crystallum *coloratam.*

Amethystus est varietas *Saphiri.*
Hyacinthus — *Topazii.*
Beryllus — *Smaragdi.*
Iaspis *viridis* — Iaspidis *coloris.*
Amiantus *Caro montana* — Amianti *montanae.*

Ex varietatibus contra videmus quasdam spe-
p. 86. cies constitutas, vt *Glarea fusoria*, quae fuerat va-
p. 278. rietas *sterilis*, definitur *particulis subtilissimis, durior, aequabilis*; *Achates sardonix*, prius varietas

Ony-

Onychis, dicitur *ſemipellucida*, *nebuloſa*, *ſtratis*, *venis vel maculis donata rubentibus aut nigreſcentibus.* Sic quoque *Achates Pſeudopalus* ex varietate *Opali* efficitur, *plus minus opaca*, *colores*, *vel lucem diverſimode reflectens*; *Zinci pſeudogalenae* varietates 2. et 3. conſtituunt *Corneum ſpatoſum*, *facie ſtriata*; vt alias omittamus.

Praeterea multas ad alia genera reduxit, ſic

fuit	et	nunc eſt	
Marga *Porcellana*	—	Argilla *Porcellana.*	p. 53.
Glarea *Argilloſa*	—	Argilla *glareoſa.*	p. 56.
Glarea *Tripela*	—	Tripela *ſolida.*	p. 101.
Spatum *ſolidum*	—	Fluor mineralis *ſolidus.*	p. 171.
Spatum *durum*	—	Spatum ſcintillans *pyrimachum.*	p. 205.
Quarzum *granaticum*	—	Granatus *rudis.*	p. 250.
Cryſtallus *granatus*	—	Granatus *Gemma granatica.*	p. 253.
Quarzum *molare*	—	Petroſilex *molaris.*	p. 270.
Gypſum *Lapis Nephriticus*	—	Iaſpis *L. Nephriticus**).	p. 302.
Iaſpis *Lapis Lazuli*	—	Zeolithes *Lapis Lazuli.*	p. 312.
Corneus *cryſtalliſatus*	—	Baſaltes *cryſtalliſatus.*	p. 319.
Ferrum *Magneſia*	—	Magneſia *fuliginoſa.*	p. 328.
Ferrum *Spuma Lupi*	—	Magneſia *Spuma Lupi.*	p. 330.
Amiantus *Linum montanum*	—	Asbeſtus *Amiantus.*	p. 393.
Iaſpis *Porphyr*	—	Saxum *Porphyr.*	p. 414.

Nouae ſpecies, quae in priori editione non reperiuntur, hae ſunt notabiliores. *Argilla fiſſilis*, *vitreſcens*, colore differens ab *Argilla vulgari* ſolis fiſſuris

*) Monet Noſter, hunc lapidem probe eſſe diſcernendum a ſpurio, *Lapide Nephritico Toeplizenſi*, qui ad Steatiticos lapides pertineat, et a multis mineralogis pro vero ſit habitus: differt enim hic a vero, grauitate et duritie minori.

p. 45. fiſſuris differens; et *Argilla granularis*, etiam *treſcens*, colore griſeo flaueſcente, inſperſis granulis albo quarzoſis praedita, ſub coctione aquae tandem emollitur, diſſoluitur, ſuamque priſtinam naturam, in Peru inuenienda: cuius forma granularis, vtrum gyratorio aquarum motu naturaliter; an vero arte producatur, ignorari dicit Illuſtr. Auctor: illud conſtare, argillam a Peruuianis lauari

p. 57. vt aurum obtineatur. *Argilla mineralis*, *vitreſcens*, *metallicis particulis mixta*, quae eſt *Argilla ferruginea* CRONSTAEDTII; huc etiam refertur *Terra nigra*

p. 88. *culoſa* Saxoniae. Ad *Glaream* refertur LINNAEI *Humus Schiſtoſa*.

p. 227. *Calcareus figuratus*, vel *filamentoſus*, a *Gypſo ſpiſato* diſtinguendus; vel *fibroſus denſus*; vel *globularis*, cuius figurae cauſſa Noſtrum latet. Omnes hae

p. 134. varietates nitore ſpataceo carent. Ad *Marmora* etiam refert *Lapides Megaricos* Auctorum, quos dicit *Marmor teſtaceum*, *petrefactis teſtaceis compoſitum*: quod ſola ſoliditate a *Calcareo teſtaceo* diſ-

p. 156. fert. *Gypſum aequabile*, *particulis minimis*, *indiſtinctis*, *facie terrea*, quod LINNAEO eſt *Gypſum argilloſum*. Nominat Ill. Auctor *Marmor metallicum* CRONSTAEDTII, vel *Spatum graue* aliorum, *Gypſum*

p. 161. *ſpatoſum*, irregulare, grauiſſimum: illudque nihil

p. 190. metallici continere aſſerit; Inter *Cotis* ſpecies eſt etiam *glareoſa*, *particulis impalpabilibus*, *mollis*, cuius varietas *corroſa* notanda videtur, quae maculis vel flauis, vel atrofuſcis praedita eſt, quas ab aliqua materia liquida, olim in ipſa glarea inclusa, poſtea ad partem deſtructa, pendere Noſter exiſtimat. Ad *Silices* refert *Aegyptiacum*, *variegatum venis concentricis*, *nitentem*, *durum*, quem CRONSTAEDTIVS *Achatem* dixerat: et *ſtriatum*, colore albeſcente, intrinſeca ſtructura *Gypſo ſtriato*

omnino

omnino ſimilem, ſed duriorem, quem alii ad petrificata referunt.

Monuimus iam, fuſibiles lapides ab Ill. Auctore hic primo eſſe aſſumtos: nunc tantum addere liceat, plures in hoc ordine reperiri, quos in Suecia frequentiores reperiundos, adeoque multis incognitos eſſe Noſter ait; nos tamen, cum plures a LINNAEO et CRONSTAEDTIO indicati ſint, repetitioni nominum non immorabimur. Ad *Steatitem* refert *argillam lapideam*, quam quidem p. 380. non eſſe, niſi argillam in lapideam naturam mutatam, ipſe Noſter dicit; hanc tamen ob cauſſam hic eſſe conſiderandam.

Accedimus denique ad obſeruationes, cum chemicas, tum phyſicas, copioſiſſimas, lectuque digniſſimas huic vtiliſſimo libro vbique inſperſas: ex quibus paucas tantum referamus. *Humus, Atramentum ſciſſile*, a plane deſtructo fiſſili p. 19. lapide bituminoſo orta videtur. *Turfae* pingue, p. 23. praeter vegetabile oleoſum, aut aliunde venit, aut ab aquis ſtagnantibus putreſcentibusque, accedente ſalino, eſt productum. *Creta tophacea* a lapide p. 26. calcareo probabiliter orta eſt. Generatim terrae p. 32. calcareae ſpiritu nitri fortius efferueſcunt, meliusque ſoluuntur, quam oleo vitrioli: cum acidis vegetabilibus cryſtalliſantur in figuram ramoſam, vegetantem: eaedemque primogeniae et marinae Noſtro, cum HENKELIO videntur. *Argilla* p. 48. *Smectis* multum conuenit cum *cruſtacea*, vtraeque cum marga; differunt tamen duritie maiori, et, quod, aqua ſolutae, non in paſtam vel lamellas, ſed puluerem dehiſcant. Praeſtantia huius terrae optime ex diſquiſitione eius naturae definitur, quae in ſubtilitate, ſiccitate, fragilitate, ac puritate particularum ponenda: in vſu igitur ad haec reſpi-

p. 50. ciendum. *Boli*, quae vulgo dicuntur, non eae
ſunt, cum aliae ad *cretas*, aliae ad *Argillas apyras*,
aliae ad *minerales* pertineant: ad *Bolos* enim re-
quiritur argilla ſubtiliſſima, aquam abſorbens, ni-
tens, in ore liqueſcens, aqua in partes minores
diſſoluenda, minus tenax, ſub exſiccatione non
p. 60. findenda, peregrinaque materia carens. *Argillae*
mineralis varietas *vmbra* differt ab *Humo umbra*,
principiis conſtitutiuis, grauitate, indole in igne,
p. 62. et odore aſphaltico. In genere de *Argilla* notat:
omnem igne calcinatorio fieri phoſphoreſcentem:
inflammabile, etſi ei inſit, non tamen inde poſſe
ſeparari, multoque minus glutinoſae materiei prae-
ſentiam oſtendi; ſed tenacitatem pendere ab
aquae et particularum argillacearum mutua attra-
p. 66. ctione: inde quoque earundem eſſe deriuandam
indurabilitatem: eſſe eam partim ſedimentum
aquoſum, partim vt terram primogeniam ſecun-
dam conſiderandam.

p. 77. *Margam* vegetationem promouere aſſerit, vel
ſua fateſcentia in aere, cum tenacem agrum ſubti-
liorem reddant, praeſertim *arenacea* et *cretacea*;
vel tenacitate, combinando terram arenaceam et
glareoſam, vt *argillacea*; vel alcalina indole, in
agro, acidis abundante, maxime *cretacea*; vel, ſi
humidum attrahant, retineantque, quorſum refe-
rendae *argillacea* indurata, ac *tophacea*; vel cum
pingue ſoluant, illudque cum aqua reddant miſci-
bile. Poſtea concedit, aliquas margae ſpecies or-
tas eſſe a deſtructis conchyliis; alias vero iudicat
natas a calcareo, lapide deſtructo: hinc marga-
rum terra non eſt primogenia; eas tamen olim
fluidas fuiſſe vero non eſt diſſimile.

p. 88. *Glareae* diſquiſitio chemica additur, et duplex
de eius origine ſententia probabilis cenſetur: vel
enim eſt puluis, a deſtructis lapidibus, aut arena
rema-

remanens, vel, quod Noſtro placet, orta eſt ex *Argillis ſoluta et granulata* induratis. Ex experimentis colligit, *Tripelam* conſtare terra inſolubili, vitrificabili, et martiali: ortamque putat e glarea, per aquam lota, et in maſſa indurata. *Caementum* et *terram puteolanam* et *Tarras* *) habentur a Noſtro, glarea, igne exuſta, ac calcinata, a ſulphure et acidis penetrata, et ſic in martialem indolem mutata: earumque vſus in murorum exſtructione, aquarumque coarctatione cernitur. Ex diuerſis de origine arenae hypotheſibus Ill. Auctor eam eligit, qua ea in initio creata dicitur; hodie tamen quoque generari a gelatinoſa materie, in aquis generata, ſucceſſiue in granula diuiſa, tandemque indurata. p. 93. p. 98. p. 105.

Marmorum durities eſt diuerſa, colores ipſi lapidi ſunt immixti, atque a bituminoſis particulis, vaporibus ſulphureis, ſalinis ac mineralibus maxime pendent. Cauſſa, quod *Cryſtallus Islandica* obiecta duplicet, in eo ponitur, quod ipſe lapis ſubtiliſſima et inſenſibili fiſſura ſit diuiſus; ita tamen, vt in vna maſſa adhuc cohaereat: hinc duplex refractio per duplicem ſuperficiem oriatur neceſſe eſt. *Spati lapidis ſuilli* odor foetidus pendet a bituminoſa materie, cum volatili ſale combinata. Leuitatem, quam calx ſub calcinatione accipit, non aquae, neque aeris ſoli feceſſui tribuit; ſed, praecipuam cauſſam latere affirmat in materie maxime volatili, leuiſſima, inflammabili: ideoque videmus, Ill. Auctorem fere cum MEIERO **) ſentire: cum praeterea ſalinum acidum ſub cryſtalliſatione, ex coniunctis vaporibus aquoſis cum inflammabili materie oriri dicat. Originem p. 134. p. 140. p. 147.

*) cf. tractatio Cl. QVIST in act. Stockholm. an. 1770. p. 49. comm. noſtr. ſupra. p. 392.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XII. p. 468.

montium calcareorum, deducit a terra calcarea: *Spatum*que ab eadem terra, aquis ſoluta, cui quidpiam acidi vitriolici accedat, ortum aſſumit.

p. 154. *Gypſum Alabaſtrum*, cum et interdum cum acidis efferueſcat, difficile a marmore diſtinguitur, niſi mollitie maiori, particularum minimarum nitore, grauitateque minore: *Gypſum aequabile* et *arenarium*, frequentiſſime ad praeparationem gypſi adhibita, eo facilius calcinantur, quo ſubtilioribus conſtant particulis. *Gypſi ſpatoſi* varietas, *lapis Bononienſis* dicta, phoſphoreſcit *): Gy-

p. 165. *pſum Lapis hepaticus* a *Spato lapide ſuilli* in eo differt, quod cum acidis non efferueſcat; compoſitum Noſtro videtur e terra calcarea cum ſulphurea et bituminoſa inter ſe mixtis.

p. 179. *Fluorem mineralem* compoſitum eſſe e terra calcarea, atque acido ſulphureo, ac conſtituere *naturale hepar calcis*, Ill. Auctor coniicit: putatque omnem lapidum phoſphoreſcentiam eſſe triplicem, aliam, quae pendeat ſolum a lumine mutuato et retento, vt in gemmis; aliam a propria materia, in motum excitata et lucente, quae ſit ſulphurea ſubtiliſſima aut acida materies; aliam a producto ſulphureo, quod oriatur a materia adiecta inflammabili, cum acido, prius praeſente, combinata. Quicquid ſit, vbicunque adſit phoſphoreſcentia, ibi adeſſe materiam electricam ſ. acidum, quod Noſtro idem fere cum materie phlogiſtica eſſe ſupra diximus. Quam ſententiam confirmatam vidit experimentis Cl. SCHE'ELE **).

p. 189. Maculae in *Cote glareoſa corroſa*, aliisque arenaceis lapidibus, deriuantur a vapore minerali, lapidem

*) vid. de phoſphoreſcentia Gypſi ſpatoſi Cl. MARGGRAFF *in Mém. de Berl.* 1750. it. comm. noſtr. Vol. II. p. 433.

**) vid. Acta Holm. an. 1771.

lapidem penetrante; foueae, a materia liquida, olim in glarea incluſa, poſtea ad partem deſtructa. *Cos Quadrum*, etſi cum acidis efferueſcit, non tamen pertinet ad calcareum lapidem *): cum illud pendeat a calcareo vel margaceo glutine, glaream combinante. *Cotis* ſpecies duplici modo concretas eſſe probabile videtur, vel mediante aqua ſolum, vel glutinoſa materie terreſtri. Arenarios montes vel primaeuos, vel in diluuio ortos, vel temporarios habendos, deſtruique vel a humido, vel a ſale marino affirmat. p. 201.

Spatum ſcintillans accedit ad naturam *Fluoris mineralis* et *Quarzi* mixtam: eſtque inter primaeuos lapides numerandum. p. 207.

Quarzum pingue domicilium praebet mineris metallorum, inprimis auri: hinc monticolis bono eſt omini. p. 212.

Color *Quarzi colorati* varius a metallis, ei immixtis, pendet. p. 214.

Cryſtalli montanae elegantia pendet a perfecta, p. 218. claritate aquea, denſitate et duritie, polituram admittente. Hanc vero eapropter rariſſime per omnem cryſtallum extendi affirmat Noſter, quod minor vel maior quantitas materiae terreſtris in liquido ſit ſoluta, quae, ſuam ob grauitatem, a liquida et leuiori materie ſub cryſtalliſatione ſeparata fuit: quod tamen nobis, non a quantitate terreſtris materiei, quae vbique eadem eſt; ſed a perfectiori, vel minus perfecta eiusdem ſolutione pendere videtur. Rationem coloris in *Cryſtallo colorata* a particulis metallicis deriuandam negat, cum, praeter alia argumenta, hic color ſit volatilis, poſſitque probabilius a vapore minerali, vel vegetabili colore oriri. p. 223.

Denique ſtatuit, *Quarzum* et *Cryſtallum* nata eſſe, p. 226.

*) Huc retulerunt POTT. in *Lithog.* P. II. p. 64. et Cl. VOGEL in *Pract. Mineralſyſt.* p. 10. vid. comm. noſtr. decad. II. Suppl. II. p. 307.

ex fluida et viſcoſa calcarea materie, quae ab aqua marina ſit orta.

p. 233. Dubitat Ill. Auctor de eo, quod *Adamas* ad ſpeculum cauſticum volatilis fiat: cum differat diſſipatio, quam fieri concedit, a volatilitate, quae conſiſtat oportet in particularum minimarum reſolutione in fumum, vel vaporem: inſtituanturque haec experimenta in minoribus tantum fruſtulis, vbi omnia phaenomena vix poſſint obſeruari. Ita etiam negat, *Adamantem*, maſſae porcellanae incluſum, in vapores reſolui; ſed ait potius, in
p. 244. minimas particulas diſſipari. *Gemmas* generatim ortas dicit per cryſtalliſationem a materia calcarea, perfecte ſoluta, fluida: easque colores ſuos accepiſſe a ſolutione quadam minerali tenuiſſima. Scriptores, qui de gemmis egerunt, No-
p. 255. ſter recenſet, iisque omnibus excelliere B. QVIST*) iudicat. Ex experimentis colligit, lapides *Granaticos* eſſe compoſitos e terra calcarea ſoluta, quam alii ſiliceam vocant, atque ferro **), quibus interdum quidpiam ſtanni, vel plumbi, immixtum ſit.
p. 281. Laudat hic Noſter CAR. ABR. GERHARD diſſertationem *de Granatis Sileſiae et Bohemiae. Achatis Opali* diuerſi colores pendent a reflexione lucis, a metallicis particulis varia orta; quod Noſter probat artificali Opalorum confectione. De *Sili-*
p. 288. *ce*, *Petroſilice* et *Achate* monet, eos, pro duritie diuerſa, ſub calcinatione vel in terram abſorbentem mutari, vel immutabiles manere, ſic quoque vel aere deſtrui, vel non mutari ***): Fuſione, addita maiori ſalis alcalini quantitate, inde produci vitrum mollius, quod aqua, vel aere humido

*) vid. Acta Holm. Vol. XXIX. p. 15. ſqq. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 60.

**) conf. RINMANN in iisdem Actis ann. 1754. §. 2. comm. noſtr. Vol. V. p. 406.

***) conf. ABILGAARD Tr. de *Stevens-klint* et Phil. Transact. no. 474. ann. 1744.

mido ſoluatur in *liquorem ſilicum:* ortos eſſe hos lapides a materia fluida, glutinoſa, calcarea, acido ſoluta. *Iaſpidum* originem, quam prius a ſubtiliſſima arena deriuauerat, nunc a materia bolari ſeu argillacea, quae materie calcarea ſoluta ſit indurata deducit. p. 305.

Zeolitis lapidis Lazuli coeruleus color non a cupro, ſed ab argento, cui quidquam ferri eſt immixtum, pendet. *Zeolitem Turmalinum*, qui alias non, niſi politus, deprehendebatur, nunc e Braſilia rudem acceptum deſcribit, *figura columnari, radiata, truncata*, eumque depictum icone ſiſtit. Id peculiare quidam *Turmalinorum* habere dicuntur, vt, ſi transuerſim inſpiciantur, ſint opaci, ſi ſecundum longitudinem, pellucidi: hinc ſingularem iis eſſe connexionem, vnde vis electrica*) pendeat, ſequi Noſter affirmat. Quum ad *Baſaltem cryſtalliſatum* Ill. Auctor omnes *Cryſtallos Baſalticas*, et maximas referat; mirum videri ait, *qua ratione hae ad tantam molem et magnitudinem peruenire potuerint? et qua ratione nudae, ſupra terram ad tantam eleuari altitudinem?* Id quod ita explicat, magnitudinem pendere a quantitate materiae cryſtalliſandae, et circumſtantiis, quae in cryſtalliſationis puncto contigerunt, nec non ab indole materiae cryſtalliſandae; erectas vero eas non eſſe generatas, ſed materiem baſalticam in materia molliori, tardioris exſiccationis, fuiſſe ſuis locis immixtam, ac, priori cryſtalliſata et indurata, poſteriorem molliorem aqua, aut alio modo, ab iſtis cryſtallis fuiſſe auulſam et ſeparatam. Ceterum iis, qui in loco natali has cryſtallos examinant, inquiſitionem in earum generationem p. 313. p. 321.

*) cf. AEPINVS in act. Berol. 1756. comm. noſtr. Vol. VII. p. 711. WILKE et BERGMANN in Act. Holm. 1766. comm. noſtr. Vol. XV. p. 582. et 1768. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 58.

p. 324. commendat. *Zeoliticos Baſalticoſque Lapides* compoſitos eſſe putat *Terra* quadam *Gypſea* vel ſimili, *Argillacea Terra* ſubtiliſſima mixta, quibus in
p. 329. *Baſalte* inſuper martiale acceſſiſſet. Ferrum in *Magneſia fuliginoſa* eſſe accidentale, atque vel maiori, vel minori copia adeſſe, vel etiam abeſſe, ſalua indole *Magneſiae*. Sententias plurimas, easque diverſiſſimas, Auctorum de *Lapidibus Manganenſibus* Noſter hic refert; atque exiſtimat, iisdem ineſſe terram calcaream, principio quodam tingente inflammabili mixtam, vnitam, atque in hepaticum ſtatum mutatam. Argillam quandam ſimul adeſſe nec ſufficienter demonſtrari, neque negari poſſe; fuſione tamen faciliore eandem indi-
p. 346. cari. *Schiſtum* dari diuerſum credit, alium *argillaceum*, alium a limo, cum argilla mixto ortum, quem igitur inter lapides peregrinos numerandum cenſet. His terris per accidens immixta reperiuntur; 1. terra martialis, 2. arenacea, 3. oleoſum, 4. ſalinum vel volatile alcalinum, vel acidum ſulphuris. Generationis modum ex ſitu diverſo eiusdem explicat, putatque, ſtructuram eiusdem lamellarem pendere partim a ſucceſſiua penetratione materiae conglutinantis, partim ab ipſa terrae indole; atque ſchiſti ſtrata eſſe antediluui-
p. 262. ana; ſitum vero hodiernum, diluuianum. Plures vulgo aſſumuntur lapides Lydii; interdum *Iaſpidis vniculoris* varietas *niger* adhibetur; ſed maior huius durities eundem minus aptum reddit; interdum *Baſalte cryſtalliſato nigro*; alii *Schiſti* ſpecie vtuntur; *Cornei* vero *Trapezii* varietatem, *nigrum, ſolidum*, genuinum eſſe lapidem Lydium, atque priores, ſi non ſuperare, certe tamen iis aequiparan-
p. 364. dum eſſe Noſter affirmat. *Lapides cornei*, ex mente Ill. Auctoris, ſunt compoſiti terra argillacea, cui calcareae portio et martiale commixta ſint.

Micam

Micam et *Talcum* a terra glareoſa, cui aliquid metallici et inflammabilis acceſſerit, originem trahere, Noſter ſtatuit. Curioſum eſt, quod, ſi *Steatite Creta Hiſpanica* literae in vitro vel feneſtra pingantur, illae quidem linteo deleri poſſint; redeant tamen in conſpectum aere humidiori et aliquantiſper frigido: id quod ſaepe iterari poteſt: valet etiam de literis, quae a *Steatite* vel *ollari molliori* in vitro pinguntur. In genere monet, *Lapides Steatiticos* argillacea eſſe proſapia, et ab argilla vix, niſi maiori duritie differre; differre tamen, quod 1) inde cum oleo vitrioli non poſſit parari alumen *); ſed magneſiam albam ſeparari, remanente terra ſilicea **), 2) cum calcareis et gypſoſis lapidibus non fundantur ***), 3) minori ſalis alcalini fixi quantitate in fluorem redigi poſſint, quam argillae. Vnde vero haec diuerſa effecta pendeant, non patet. p. 377. p. 383. p. 389.

Refert Noſter modum parandi, ex *Asbeſto Amianto* lintea et papyrum incombuſtibilia ****), atque *Asbeſtum maturum* eidem vſui ſeruire poſſe putat. Duplicem in *Amianto* eſſe terram albam, alteram cum acidis non efferueſcentem, grauiorem; alteram, cum acidis efferueſcentem, ſubtiliorem. Hinc coniicit, ortos eſſe hos lapides a terra gypſea indurata, atque aliquam huic admixtam eſſe Argillam. p. 394.

Inter varietates *Saxi Granitae* eſt quaedam *fuſca*, aere deſtructibilis; cuius deſtructionis cauſſa p. 409.

*) vid. Cl. MARGGRAF *chemiſch. Schrift.* p. 209. §. 14.

**) vid. EIVSD. tract. in *Mém. de Berlin* an. 1756. comm. noſtr. Vol. VII. p. 698.

***) vid. POTT. in *Lithogeognoſia*. II. 95.

****) vid. MAHVDL in *Mémoire de litterat. de l' acad. des inſcript. T. V.* et VI. quae in linguam Germanicam translata legitur tractatio in *Hamburg. Magaz.* T. II. et *Philoſ. Tranſactions* 1656. *menſ. aug. p.* 460. *Miſcell. N. C. dec. II. an. II. obſ.* 62.

quaerenda eſt, et in leui particularum nexu, et in glutinoſa materie, particulas combinante, et praecipue in ſalino admixto. *) Vix alios lapides digitis impoſitos, et duriori corpore percuſſos, tinnitum edere reperit Ill. Auctor, quam *Schiſtum Ardeſiam tegularem*, *Corneum Trapezium*, *Saxum cotarium* et *Saxi Trapezii* varietatem, nigram, in Weſtrogothia inueniendam. Hunc tinnitum deriuat a
p. 424. nexu particularum induratarum. Nulla vnquam in *Saxis mixtis* corpora peregrina reperta eſſe; neque a ſabulo orta, ſed in ſtatu fluiditatis aut mol-
p. 431. liori eſſe generata iudicat. Denique *Saxa aggregata* in molliori etiam conſiſtentia fuerunt conglutinata, eorumque fractura facta eſt ſub exſiccationis et indurationis ſtatu, ideoque antediluuiana; horum vero conglutinatorum lapidum praeſentia in ſuperficie telluris eſt diluuiana **).

IV.

Tentamina theoriae mathematicae de phaenomenis magneticis, Auctore I. H. VAN SWINDEN, ſpecimen primum, ſiſtens principia generalia, ac nouam punctorum indifferentiae et puncti culminantis theoriam. Lugd. Batav. ap. Petr. van der Eyk et Dan. Vygh cIↃ IↃ CCLXXII. 4. pl. 10. praeter dedic. et tabulas aeneas.

Maxima cum diligentia atque ſtudio hic conſcriptus liber ſtatim ab initio de diuerſo communi-

*) cf. tract. Cl. ABILGAARD in *Act. Stockh.* Vol. XVIII. et Cl. TILAS ibid. comm. noſtr. Vol. VII. p. 594.

**) De Saxis cf. GVETTARD in *Mém. de Paris.* cf. comm. noſtr. Vol. XI. p. 398. Vol. XV. p. 466. et decad. II. Suppl. II. p. 331.

municandi propagandique vim magneticam modo exponit; ita tamen, vt omnes phyſicorum de eo opiniones, ne ipſa mathematica demonſtratio nitatur fundamentis infirmis, ſuis cuiuscunque reddat inuentoribus. Etenim, ait Cl. Auctor, quemadmodum res ipſa in omni, quamcumque fingant, hypotheſi, eo redeat, vt aliquod fluidum peculiare illas efficiat magnetis proprietates: ſic id ipſum fluidum, aut ſtagnet circa magnetem, aut circumagatur in orbem, neceſſe eſſe: quare, ſi prius, nec vllam quidem vim huic fluido, ferrum attrahendi, et magnetem ad axem mundi vertendi, attribui poſſe; ſin autem poſterius, ipſum hoc fluidum proprias opus habere vires, quibus moueatur, quae, num ei inſitae, an rurſus aliunde, aut quanam natura, nos forte in ſempiternum latere. Itaque iſtis ſtabilibus magnetis proprietatibus ſat notis, absque fiendi modi inveſtigatione, aſſumtis, Ipſe cauſam rationemque, cum intenſioris, tum hebetioris vis magneticae, acubus vel parallelepipedis ferreis conciliatae, experimentis, copioſe et diligenter inſtitutis, mathematice diſquirit, omnemque demonſtrationis modum, more celeberrimi ALEMBERTI, *principio decompoſitionis virium, tum principio aequilibrii, et principio inertiae*, conficit, atque ita magnetis vires metitur.

Iam vero ante, quam ipſam ſuorum experimentorum rationem reddat, vt res clarior fiat, omnia magnetis phaenomena, quae aut ſua ſponte exiſtunt, aut quae coguntur nobis offerre, tribus his argumentis complectitur:

1) *Quando ferrum magneti applicatur, vel in eius atmoſphaera ponitur, magneticum euadit ea lege, vt in puncto contactus naſcatur polus amicus ei, cui applicatur,* P. I.

plicatur, et in puncto oppoſito, inimicus: hi tamen poli ſunt mutabiles.

2) *Ferrum, quod ita vim magneticam concepit, totum euadit magneticum, in omnibus ſuis partibus: ita, vt, quemadmodum in magnetibus naturalibus, vis ſit fortiſſima in polis, dein continuo decreſcat, vſque in puncto quodam, centro magnetico dicto, quod partem borealem ab auſtrali ſeparat: hinc vis cuique particulae conciliata eſt in quadam ratione diſtantiae a centro magnetico; vis vero ſemper ſe ſecundum longitudinem ferri extendit, et maxima eſt in puncto, cui magnes applicatus fuit.*

3) *Determinata ferri maſſa, tantum determinatam vim ab eodem magnete accipere, et tantum determinatam ſeruare poteſt, quicunque magnes illam ei communicauerit: ita, vt detur punctum ſaturationis, vltra quod determinatum ferrum vim ſeruare nequit: et reciproce determinatus magnes, determinato ferro, tantum determinatam vim conciliare poteſt: haec tamen ſaturationem non excedet, ita, vt fieri poſſit, vt ferrum a validiore magnete tactum, maiorem ſerat vim, quam ſi minus validus in illud ageret: ſi ſcilicet ab vtroque ſaturetur.*

p. 13. His igitur propoſitis, prima huius partis ſectione Noſter oſtendere conatur, cur, ſi quis magnetem per parallelepipedum quodcunque aptum ad acquirendam vim magneticam, ab vno extremo ad alterum aequabiliter ducat, eius extremum id, a quo incepit fricare, eiusdem poli, qui ad fricandum eligitur, vi impraegnetur; alterum autem extremum, alterius poli. Ait enim, quemadmodum, ſi quis polo v. c. boreali tangat tantum parallelepipedi extremum alterum, in puncto contactus, polus exiſtat auſtralis; in punctis autem aduerſus alterum extremum, eius vis ſenſim decreſcat

creſcat, donec in quodam puncto, centrum magneticum appellato, tota deleatur; tum rurſus negatiue, vt loqui conſueuerunt mathematici, creſcens, in altero extremo, contraria vis, ſiue poli borealis, exiſtat: ſic etiam, ſi idem polus per parallelepipedum ducatur, in ſingulis eius punctis polum auſtralem exiſtere, atque ita, cum ad alterum extremum peruenerit, in hoc polus auſtralis oriatur, neceſſario ſequi. Igitur, quoties magnes per parallelepipedum ducatur, toties quoque vim magneticam ſingula frictione acquiſitam, quaſi inuerti.

Altera ſectione, vt experimentorum ſuorum p. 17.
reddat rationem Cl. Auctor, ferreum parallelepipedum ſe in partes tot diſtribuiſſe aequales ait, quot requiri putaret; tum, id ita aduerſus acum magneticam in orbem circum agibilem poſuiſſe, vt parallelepipedi extremum, normaliter, ſubque angulo recto, ad acus magneticae extremum boreale duceret; in ea tamen ab ipſa acu diſtantia, qua, antequam vi magnetis impraegnaretur, in acum agere eamque attrahere non poſſet. Iam attrahi acum per aliquot gradus et declinare a ſitu ſuo, ſe vidiſſe, quamprimum parallelepipedi extremum id, quod e partibus aduerſis caderet, tactu magnetis eſſet impraegnatum, at, ductus per alias, deinceps iunctas parallelepipedi partes aliquot, celeriterque remotus, acum ſenſim rediiſſe, donec in quoddam parallelepipedi punctum, cum magnes peruenisſet, acus in eius meridianum eſſet redacta. Hoc parallelepipedi punctum, *indifferentiae primum* cum Cl. BRVGMANNO appellat. Pergendo autem ducere magnetem verſus alterum extremum, acum denuo attrahi, ante quam vero magnes extremum alterum attingeret, rurſus redire

redire acum in ſuum meridianum, idque in puncto indifferentiae ſecundo euenire; denique frictione ad finem peracta, acum tertia vice iam attrahi.

Verum cum haec puncta indifferentiae non aequidiſtarent ab extremis; ſed propius abeſſet primum a primo extremo, quam alterum ab altero; nec conſtantem quandam rationem eorum diſtantiae animaduerteret: hoc experimentum ſepties et vigeſies ita commutauit, vt magnetem aut intenſiori vi praeditum, aut laxiori; tum parallelepipedum aut longius, aut brevius, vel etiam aut craſſius aut gracilius adhiberet, eiusque duritiei rationem haberet. Singuli experimenti autem euentum in tabulam conſcripſit.

Sectione tertia igitur, ex comparatione experimentorum, eas, quae propter diuerſam longitudinem parallelepipedi, et magnetis fortiorem aut debiliorem vim, coguntur, leges fert. Ait enim:

p. 36. 1) Quando ſunt iidem magnetes, ſtrictura vero ſola longitudine differunt, quo longior eſt ſtrictura, ad *certum vſque terminum*, a vigore magnetis reſpectu longitudinis ſtrictura pendentem, eo maior eſt diſtantia puncti differentiae primi ab extremo, in quo frictio inchoatur, vltra hunc minor fit, aut aeque magna huius puncti diſtantia ab extremo, quam in breuioribus ſtricturis.

p. 43. 2) Quo fortior eſt magnes adhibitus, eo, ceteris paribus, eſt diſtantia puncti indifferentiae primi ab extremo, in quo frictio inchoatur, maior, vſque ad certum limitem, a relatione, quae inter ſtrictura et adhibiti magnetis vigorem datur, pendentem, vltra quem illa diſtantia etiam maior fieri poteſt, ſi debilior adhiberetur magnes.

3) Iisdem

3) Iisdem adhibitis magnetibus, ſtricturisque eiusdem craſſitiei, eſt diſtantia puncti culminantis, ab extremo, in quo ſtrictio inchoatur, eo maior, quo longior eſt ſtrictura, ad certum vſque terminum, a relatione, quae inter vigorem magnetis et ſtricturam datur, pendentem, vltra quem decreſcit, ita, vt breuior fiat in longioribus, aut aeque magna, quam in breuioribus ſtricturis. p. 45.

4) Quo fortior adhibetur magnes, eo, ceteris paribus, diſtantia puncti culminantis, ab extremo, in quo frictio inchoatur, maior eſt, ad certum vſque terminum, a relatione, quae inter magnetem et ſtricturam adhibitam datur, pendentem, vltra quem diſtantia illa minor fit. p. 46.

5) Quo longior eſt ſtrictura, eo maior eſt diſtantia puncti indifferentiae ſecundi ab extremo, in quo frictio inchoatur, eodem adhibito magnete; verum, ſi parua ſit ſtricturarum differentia, contingere poteſt, vt illa diſtantia minor fiat: qui terminus a relatione inter magnetem et ſtricturam pendet. p. 68.

6) Quo fortior adhibetur magnes, eo, ceteris paribus, maior eſt diſtantia puncti indifferentiae ſecundi ab extremo, in quo frictio inchoatur, vſque ad certum terminum, a relatione, quae inter magnetem et ſtricturam datur, pendentem, vltra quem denuo fit minor. p. 69.

Sectione quarta, eadem ratione, ea, quae propter craſſitiem parallelepipedi diuerſam ſequuntur, examinat, hasque leges proponit:

1) Si ſtricturae diuerſae craſſitiei adhibentur, ſed eiusdem longitudinis, poſitis magnetibus iisdem, eſt aliquando punctum indifferentiae primum remotius ab extremo, in quo frictio inchoatur p. 73.

tur, aliquando minus remotum in ſtricturis craſſioribus, quam in tenuioribus: quod a relatione, quae inter ſtricturam, ac magnetem adhibitum, datur, pendet.

p. 73. 2) Si ſtricturae aeque longae, ſed diuerſae craſſitiei, ac magnetes conſtantes adhibentur, eſt diſtantia puncti culminantis, ab extremo, a quo frictio inchoatur, aliquando maior, aliquando minor in craſſioribus ſtricturis, quam in tenuioribus, prout vigor magnetis, reſpectu ipſius ſtrictura, differt.

p. 74. 3) In ſtricturis diuerſae craſſitiei, ſed eiusdem longitudinis, magnetibus poſitis iisdem, eſt diſtantia puncti indifferentiae ſecundi, ab extremo, in quo frictio inchoatur, aliquando maior, aliquando minor in craſſioribus, quam in tenuioribus ſtricturis: quod a vario magnetis vigore, ſtricturaeque maſſa pendet.

p. 76. De duritie vero ferri adhibiti quinta ſectione ita exiſtimat Cl. Auctor: quando ſtricturae ſola duritie differunt, ſunt, ceteris paribus, diſtantiae amborum punctorum indifferentiae, et puncti culminantis, nunc maiores in mollioribus, quam in durioribus: quod a vigore magnetis pendet.

Sectione ſexta denique rationem etiam diſtantiae punctorum indifferentiae a ſe ipſis diſquirit; ſed cum ea tam variabilis ſit, nec tam pauca experimenta ſufficere, ad rem accurate cognoſcendam Noſter putet, nullam de hoc legem proponit. Ceterum omnia formulis mathematicis concinne demoſtrat, atque ad exprimendas in ſingulo puncto parallelepipedi vires, numeris trigonometricis, ſiue ſinubus vtitur.

V.

V.

D. CARL ABRAHAM GERHARD, *Königl. Preuſ. Oberberg- und Bauraths, der Kayſerl. Acad. der Naturforſcher und der Königl. Acad. der Wiſſenſchaften zu Berlin Mitglied*, materia medica, *oder Lehre von den rohen Arzeneymitteln, 2te verm. Auflage, Berlin 1771. bey Chriſtian Friedrich Himburg*, 8. *Seit.* 632.

i. e.

CAROLI ABRAHAMI GERHARD, materia medica, editio altera aucta et correcta.

Clariſſimum CARTHEVSERVM*) Noſter hic ſecutus eſt, et ex chemicis principiis explicat vires medicaminum, cum in plerisque ad partes conſtitutiuas proximas ſolum, in paucis medicamentis ad relationem, quam ad alia habent, reſpiciat, Breuitati praeterea ſtuduit et minus vtilia remedia omiſit. Atque ita duabus partibus complectitur haec materia medica, quarum altera generalis, altera ſpecialis deprehenditur. Omnibus omnino modis remediorum cognoſcendorum a Noſtro non admiſſis; nec non ipſa experientia, quae modum agendi accidentalem et indeterminatum quidem, minime tamen virtutes remediorum illuſtrat, reiecta: arbitratur, ad partes conſtitutiuas, proximas, ſolubiles potiſſimum in corpore, dein ad remotas eſſe reſpiciendum in exploranda remediorum indole; eorum autem modo agendi ſeruire varias alias auxiliatrices diſciplinas, licet varia et hic enarret impedimenta. Idcirco hiſtoriam naturalem, principia, vires vſumque medicaminum expendit.

Muta-

*) comm. noſtr. Vol. XV. p. 513.

p. 13. Mutationibus, quas medicamina in ſolidis et fluidis corporis humani producunt, ſecundum Cl. GAVBII pathologiam, et trigam ſuarum diſſertationum de irritabilitate therapiamque pertractatis: diuiſionem remediorum Noſter communicat, cuius alia atque alia ratio cernitur vel in praecipua medicamentorum actione, vel in modo ea corpori applicandi, vel in generali, aut ſpeciali vſu; denique addit quaedam de amuletis, ſpecificis et ſympatheticis: illa in ſtrictiore ſenſu largitur, haec
p. 38. vero negat. Tum elementa corporum definit Noſter, probat et diuidit cum BECCHERO, in terram et aquam, atque generales et ſpeciales re-
p. 51. cenſet qualitates. Poſtremo tradit Noſter partes corporum conſtitutiuas proximas, quas in terras ſalinas, inflammabiles et metallicas diſtributas perſequitur.

p. 71. Altera nunc parte praemittit diuiſionem medicamentorum optimam ex ſimilitudine partium conſtituentium, ex qua ad generalem vim et actionem primum concludit, dein ſpeciei ſimilis addit vſum. Ita conſiderat Noſter inter terrea, vitreſcibilia, alcalina, gipſea et argillacea, et alcalinis potiſſimum adſcribit vſum medicum, additis de eorum vſu cautionibus. Terra natroſa ſeu muriatica vires prodit antacidas in primis viis, ſpasmis abſentibus et viſcido tenaci. Cum vero omnia omnino terrea non, niſi vim antacidam habeant, ſolummodoque pro maiore minoreue ſenſibilitate et ſubtilitate agant; patet, lapides cancrorum omnibus eſſe praeferendos, excepto calcis vivae infuſo.

p. 123. Tum acida, alcalina et media ſalia, ac inter media boracem pertractat, eorumque hiſtoriam naturalem, principia, vires vſumque hic expendit.

dit. Additis quoque interea quibusdam de acido dulcibus, ad dulcia ipſa progreditur Noſter. Inter adſtringentia reperimus ſanguinem draconis. Amaris et amaricantibus radicem taraxaci et dictamnum album adiudicat. Inter amaro adſtringentia cortici Peruuiano tribuit Noſter vires, omnibus huius ſectionis medicaminibus competentes, praecipue vero roborantem, febrifugam, antiputridam, pendentes a vi adſtringente, eiuſque actionem a gummoſis et reſinoſis particulis fixis deriuat: nec non viſcum quernum et inprimis corticem ſalicis fragilis plane aequiparat cortici Peruuiano. Vuae vrſi ineſt virtus roborans, antiputrida, diuretica et leniens, dolores ſolum a calculo, imminuendo ſenſibilitatem et irritabilitatem renum vi ſua adſtringente: ideoque eiusdem vſum continuatum in calculoſis ob noxam diſſuadet. Herbae linneae vſus cernitur in catarrhalibus, viſcidis pectoris, rheumaticis ac arthriticis; ſed cautus. Finiunt demum hanc ſectionem grana chermes et coccionella.

De acribus in genere, vt radice hellebori albi et perſicaria acri, arnica, cet. a Noſtro praemiſſis, acria purgantia et vomitoria pertractantur, inter quae et linum catharticum commemoratur. Poſtea ad vaporoſa, vt cicutam, ſemina papaueris, opium, cet. progreditur: quae ſequuntur medicamenta aromatica et balſamica, quorſum refert Noſter radicem iridis Florentinae, cet. nec non gummata, vt gummi kikekunemalum, look et galda, quae tres gummi reſinae, reſpectu plantarum, ex quibus obtinentur, et quoad originem ſuam, plane adhuc ignotae ſunt. Prius et vltimum ex America, alterum ex Iaponia ad nos deferuntur, vtrique priori magna vis neruina, roborans et diſcutiens, et primo antiſpaſmodica et vltimo in- p. 330.

primis ineſt aperitiua. Semini ſantonici ſubſtituti poteſt ſemen ruthae, tanaceti. Vanigliae adſcribit virtutem balſami Peruuiani, quocum conuenit, irritantem ſi excipias. Camphora gaudet virtute commouente, irritante, anodyna, antiſpaſmodica, diſcutiente, reſoluente, purificante, temperante, antiputrida et diaphoretica.

P. 559. Sequuntur medicamenta oleoſa, vnguinoſa, pinguia, mucilaginoſa et gelatinoſa, et addit his gelatinae proportionem ad aquoſas et terreſtres partes variam variorum animalium. Inter medicamenta metallica in quinto capite pertractat Noſter mercurium, cuius vim medicam internam a grauitate ſpecifica; externam vero a leuitate deriuat: ideoque, cum in canali fluida ſpecifice grauiora in axi, ſpecifice leuiora ad peripheriam, magis ſe moueant, atque cum arteriae carotides, ſanguinem ad caput vehentes, cum axi cordis fere in vna linea oriantur, neceſſe eſt, vt particulae mercuriales, in eas praecipue intrantes, ad caput delatae, irritationem, ob grauitatem, in glandulis ſaliualibus producant. Decocti mercurialis vim anthelminticam tribuit acido vitrioli, cuiuis aquae communi, quo quid mercurii ſoluitur, ideoque in turpethum minerale mutatur. Cinnabari et aethiopi omnes denegat Noſter vires et ſulphur inefficax iudicat. Vltimo conſiderat Noſter aquas, ac primum quidem communem, dein aquas minerales ſoterias, additis nonnullis cautelis in earum vſu.

VI.

VI.

Iournal de médécine, chirurgie, pharmacie etc. par M. A. ROVX, docteur régent de la faculté de médécine de Paris, cet. Tom. XXXI, à Paris 1769. chéz *Vincent*. 8. Alph. 1. pll. 13. t. aen. 1. Tom. XXXII. 1770. Alph. 1. pll. 13. Tab. aen. 1.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, cet. pertinens, auct. Cl. A. ROVX Tom. XXXI et XXXII.

Deligemus ex menſe iulio 1769. ea, quae notatu digna videntur. Tom. XXXI.

2) *Super fluxum catarrhalem veſicae vrinariae*, diſſerit Cl. PLANCHON. Non ita rarum hunc morbum, quem Cl. HOFFMANNVS voluit, iudicat Noſter, cum hactenus non ſatis attente obſeruatus, vel non ex humore catarrhali, ad parietes veſicae vrinariae, vel vrethrae per metaſtaſin depoſito, deriuatus ſit. Cl. LIEVTAVD *), et LANDEVTTE **), duces ſecutus eſt, qui ſub finem coryzae ſtranguriam, iam in iſchuriam procliuem, obſeruarint. Id quod Noſter exemplo feminae ſexaginariae illuſtrat, quae, febre catarrhali epidemica correpta, ſtranguriam denique gravem experta eſt: hac, iuſtis remediis cedente, ſedimentum mucoſum vrinae, pituitae narium haud abſimile, apparuit; quo tamen morbo penitus liberata p. 21.

*) vid. *Synopſ. med. pract.* p. 386. comm. noſtr. Vol. XV. p. 219.

**) vid. Iourn. de médécine Tom. XXVI. p. 136. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 309.

berata eſt. Cum vero materia rheumatica, vel catarrhalis a tranſpiratione ſuppreſſa deriuetur, et in contextu cellulari ſedem habeat; eam ex cellula in cellulam abire, et ſic ad vias vrinarias deuenire multo probabilius Noſtro videtur, quam ſi eam, ad circulum humorum reductam huc per metaſtaſin auctores ducant.

p. 35. 3. Obſeruatio *de taenia* Cl. LABORDE. In virgine ſana et vegeta hoc miratu dignum fuit, eam fragmentis taeniae, variae magnitudinis, varioque tempore excreuiſſe, ſuamque bonam et vegetam formam, ſub ipſis etiam verminoſis taeniaeque ſymptomatis retinuiſſe.

p. 47. 5. Litterae, ad auctorem *animaduerſionum ſuper malum hyſtericum* directae, auct. Cl. LAVGIER. Hunc alii antiſpasmodicis, alii tonicis, alii denique humectantibus relaxantibusque curant morbum. Tres has methodos in aliis aegris laudat Noſter, in aliis improbat, rationibus quidem haud vulgaribus. Hinc ſuam, qua in his morbis hyſtericis cum fructu vtitur, communicat methodum, vbi ſolidis tonum reſtituit, digeſtionemque reſtaurat: his enim ſtabilitis, curam abſolutam; iis vero neglectis palliatiuam eum tantummodo eſſe putat. In quo vero haec ſua methodus conſiſtat, vlterius perluſtrat.
p. 56.

p. 80. 8. Obſeruatio *ſuper denudatione oſſis*, auct. Cl. MARTINO. Denudatum os, i. e. perioſteo ſuo priuatum, non, niſi exfoliatione facta, poſſe curari hactenus plerumque docuerunt auctores; cuius vero contrarium Noſter duobus exemplis monſtrat. Plaga enim quadam alii coronalis oſſis ea pars, quae intra tubera ſitum habet; alii parietale os denudata erant. Vterque aeger ſola deligatione ſicca plane a Noſtro reſtitutus eſt. Labiorum enim vulnerum ſic reunionem optime praeſtitit,

fine

ſine eo, quod, exfoliatio expectanda, vel ſympto-
ma vllum ſubſecutum eſſet. Vtramque quoque
methodum per ſpirituoſa aeque, ac ſuppurantia re-
iicit, in ſola deligatione ſicca acquieturus, cum
pus, ſenſim praeparatum, omnia balſama et dige-
ſtiua longe poſt ſe relinquat.

Ex menſe anguſto haec communicamus:

1. *Transactionum medicarum, a collegio me-* p. 99.
dicorum Londinenſium communicatarum, Volu-
men I. *).

2. Commentarius *vſum emeticorum in morbis* p. 123.
acutis probans, auct. Cl. BALME. M. D. Tota
haec diſputatio contra Cel. DE HAEN dire-
cta eſt, qui **), vomitoria omnia, praecipue in
morbis acutis ex claſſe remediorum proſcribens,
iis humectantia, attenuantia, inuiſcantia cet. ſub-
ſtituens, emeticorum commendationem, nec ex
HIPPOCRATE ***), nec ex methodo Boerhaaui-
ana, patere defendit. Cuius quidem fallacias No-
ſter detegens Ill. DE HAEN ita refellit, vt HIP-
POCRATIS aphoriſmum examinans, contrarium
HAENIO demonſtret, eique Cl. BOERHAVII,
verba ****) opponat. Ex quibus omnibus clare
pateat, nec HIPPOCRATEM, neque BOER-
HAAVIVM, vel in morbis acutis emetica repu-
diaſſe; multo minus nobis ab iisdem, iuſta qui-
dem formata indicatione, etiam praeſentibus in-
terdum contraindicantibus, abſtinendum eſſe:

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 195.
**) Rat. med. Tom. I. Pars I. c. 2. Pars III. c. 1. §. 1.
Tom. V. Pars X. cf. comm. noſtr. Vol. XII. p. 127.
***) Aphoriſm. 22. Sect. I.
****) In innumeris ergo morbis, tum *acutis* tum chro-
nicis proſunt haec medicamenta vomitoria. Mat.
med.

praeſertim cum exempla proſtent *), emetica in vomitu cruento, vel vulnerato ventriculo optimo cum fructu data fuiſſe. Quod denique argumentum vlterius et ſatis ample perſequitur, morbos eiusmodi acutos cum eorum contraindicantibus recenſet, iuſtum tempus emetici definit, et ex methodo aliorum medicorum feliciſſima vſum vomitoriorum, non contemnendum, comprobat.

p. 156. 4. Obſeruatio *duorum fetuum, membrana communi incluſorum*, auct. Cl. LEAVTAVD chirurgi. Rariſſime quidem hoc phaenomenon obuenire concedit Noſter, vt inde quoque Cl. MAVRICEAV **), iure affirmare poſſet, fetuum, ſi plures in vtero reperirentur, quemlibet peculiari ſua membrana incluſum eſſe. Interim Noſter abortum trimeſtrem vidit, vbi duo fetus ſeparati quidem, funiculo vmbilicali vni placentae alligati, et membrana vna et communi incluſi eſſent. Quoties vero hoc phaenomenon appareat, toties quoque embryoni letale eſſe probat, cum funiculus ſemper umbilicalis, alteri inuolutus fetui ſuffocationem inducat.

p. 158. 5. Obſeruatio *de vana virtute ſeminis hyoſcyami, externe applicati*, a Cl. DESPREST. In virtute ſeminis hyoſcyami, quam Cl. LABROVSSE ***) eam voluit, vt granum, prunis iniectum, dolores dentium leniret, et ex dentibus cariosis, vermiculos expelleret, quorum ipſe plures vidiſſet, Noſter ſtudioſius inquirens, nec eam virtutem probatam vidit, neque eiusmodi vermiculos egreſſos obſeruauit; quin potius filamenta, vermiculis non multum abſimilia, detegeret, quae iuſtio-

*) Hiſt. de l'academ. roy. des ſciences de Paris an. 1715 et 1725.

**) Livre des accouchémens.

***) Iourn. de médéc. Tom. XXIX. an. 1767. p. 503. vid. comm. noſt. Vol. VI. p. 16.

iuſtiore examine filamenta, ad inſtar piſtilli plantae, altero fine bifurcata, falſo orificium inſecti credita, quae ex ipſo ſemine hyoſcyami prouenirent, intellexit.

8. Obſeruatio Cl. MARTIN *de membrana tympani.* Cum interdum accidat, vt et in ſtatu ſano membrana tympani, quam RIVINVS ſemper perforatam voluit, aperta obſeruetur, tribus exemplis Noſter phaenomenon hoc illuſtrat, non, quod ſemper et in ſtatu naturali obueniat; ſed quod per morbum inductum fuerit foramen, et, reſtitutis etiam aegris, membrana aperta manſerit, ſine eo, vt auditus laederetur, niſi in vltimo, vbi iſte quodammodo imminutus obſeruaretur. Hinc fallaciam eiusmodi patere putat, quam quosdam in eius aperturae naturalis praeſentia demonſtranda, commiſiſſe conſtat. p. 158.

Haec communicamus, ex menſi ſeptembri:

1. Continuatio *transactionum medicarum Londin. Vol. I.* *). p. 195.

2. Commentarii Cl. BALME, *de vſu emeticorum, in morbis acutis haud reiiciendo* pars ſecunda. Pergit Noſter in exponenda et definienda virtute emeticorum. Fuere, qui vomitoriis purgantia ideo ſubſtituerent, cum primo ſaburra primarum viarum his eliminaretur: praeſente deinde turgeſcentia humores crudi euacuarentur: purgantia porro naturae leges ſequerentur, quippe quae, peracta coctione, ſcybala deorſum ducerent: ea tandem vomitoriis minus vehementiora eſſent cet. His vero argumentis examinatis ſolutisque, bonitatem et praeſtantiam emeticorum probat. In ipſa grauiditate ſeptimeſtri Noſter vomitorium, optimo cum ſucceſſu adhibuit. Femina enim, magna p. 220. p. 237.

*) vid. ſupra pag. 471.

magna copia pyrorum ingeſta, vanis continuo conatibus vomendi aliisque grauibus ſymptomatis, morti proxima erat. Ex graui contraindicante Noſter meticuloſus, aliis, hunc in finem commendatis remediis fruſtra vſus eſt, vſque dum ad tartarum emeticum confugere auderet, eoque optimum et ſperatum, ſine omni noxa ſubſecuta, haberet euentum.

p. 257. 4. Commentarius Cl. AVBRAI *ſuper defectu ani.* Impeditur excretio moeconii quintuplici modo. Vel enim anus membrana quadam praetenſa praecluditur *), vel cutis nimis prolongata anum obtegit **), vel orificium ani ita interdum coanguſtatur, vt excrementa non, niſi guttatim, vel filamentorum ad inſtar perrumpant ***). Inteſtinum nonnunquam rectum veſicam vrinariam ****), vaginamque †), intrat, aut per ipſum os ſacrum exit ††) Vel denique, quod rariſſime obueniat, ipſum inteſtinum rectum totum vel ex parte deficere videtur †††). Hanc et quartam ſpeciem, omni auxilio chirurgico maiores iudicat; priores vero iuſta operatione curari poſſe contendit.

p. 269. 5. Cl. BEAVSSIER obſeruatio, *de amputatione femoris, per triginta duo annos carioſi, et de arteria quadraginta poſt operationem dies rupta.* Tota deſcriptio huc redit. Aegrum quendam quinquaginta ſeptem annorum, ante triginta circiter annos

*) Mém. de l'acad. roy. de chirurgie, 12. Tom. II.
**) BONET Paraleipom. ad lib. III. Sect. 14. SERVIARD obſ. 3.
***) SCVLTET. armament. obſ. 71.
****) FABR. HILDAN cent. I. obſ. 75.
†) HEISTER inſtittut. chirurg. p. 1106.
††) DE LA FAYE principes de chirurgie.
†††) Mém. de l'academie roy. de chirurgie, Tom. II. p. 245.

annos variolis malignis confluentibus laborasse, ex iisque metastasin ad femur factam esse, quae integumenta sensim, musculosque depascceret, totumque fere os carioſum redderet, ita, vt hoc pede amplius vti non posset. Hinc per multos annos varie a variis, sine vllo iuuamine tractatus, tandem ad Nostrum accessit, qui, etiamsi malam formaret prognosin, operationem felicissimo euentu instituit. Nec haemorrhagia, post quadraginta dies ex arteria rupta insignis obueniens, aegroque mortem minans, iustae et integrae restitutioni obfuit.

Mensis octob. haec notatu digna offert:

2. Obseruationem *de angina gangraenosa*, auct. Cl. MARTEAV. Noster ad aegrum, quinquaginta duorum annorum, angina graui laborantem quarto die accersitus, anginam hanc ex symptomatis, praecipue aphonia, post tussim conuulsiuam gangraenosam iudicans, pessimam formauit prognosin. Interim tamen, looch ex syrupo altheae cum oleo amygdalarum dulcium, camphora admodum saturato aegro dedit, vesicatorium collo statim applicuit, venaesectionemque, per noctem iteratam, instituit. His medicamentis succedentibus, membranae asperae arteriae internae solutae sub magna tussi exscreationeque copiosissime eiiciebantur, vsque ad vndecimum diem. Aeri atmosphaerico, superficiem asperae arteriae internam nudam valde irritanti, vaporibus ex decocto emolliente obuiam iuit: febrem adhuc magnam venaesectione denuo instituta infregit; quae tamen sexto die remittens sudorem criticum produxit, quem Noster sale essentiali chinae cum balsamo sicco Peruuiano, camphora et balsamo de Canada in forma boli adiuuit. Symptomata, sensim imminuta, decimo die p. 302.

die plane ceſſarunt, aegerque reſtitutus eſt, niſi difficultate vocis relicta, quae tamen quoque vndevigeſimo die ſoluta fuit.

p. 350. 4. Obſeruatio, *de hydrope peritonei*, EIDEM communicata a Cl. ANDRIEN, chirurgo. Quinquagenaria, per omnem vitam iuſto tempore catamenia celebrans a decimo quinto ante mortem anno dolorem infimi ventris ſenſit. Abdomine paulo poſt tumido, omnibus tamen corporis functionibus recte interfuit. Punctura quinque annis poſt, Cl. COLLINGSON ſuaſore, non admiſſa, ſexto ante mortem menſe abdomen adeo intumuit, vt nullam fere amplius actionem ſubire poſſet. Aperto cadauere, ducentae et quinquaginta librae aquae limpidae et inodorae per puncturam, in vtroque latere inſtitutam, effluxere. Viſceribus infimi ventris omnibus, quod diſſectoribus mirum videbatur, ſanis, nulloque veſtigio morbi in cauitate abdominis reperto, ingentem hanc copiam aquae in duplicatura peritonaei contentam fuiſſe poſtea patuit: lamina enim peritonei interna a celluloſa membrana et muſculis, quibus adhaeret, ſeparata, non, niſi lineae albae adhaeſit. Siti fere nulla aegra vrinae excretionem, ad mortem vſque copioſam habuit.

p. 366. 7. Literae, *ſuper aneuryſmate ſpurio arteriae cubitalis* a Cl. AVRRAN, ad Cl. MARTIN miſſae. Arteria cubitalis, pollicem infra flexuram cubiti laeſa, magnam haemorrhagiam produxit: Qua vero ab aegro digitis preſſa, ingens copia ſanguinis intra interſtitia muſculorum antibrachii effuſa, nec deligationibus, neque faſciis comprimentibus coerceri poterat, quin potius et decimo quinto die haemorrhagia adhuc aderat: Hinc operatione a b. LE CAT facta, tumor non, niſi ſanguinem grumoſum coagulatum continuit: deligatione

ne iusta applicata, suppurationeque sensim succedente cum pure primum bruno, postea naturali aeger plane restitutus est.

Haec ex mense nouembri excerpimus:

3. *Descriptio noui instrumenti chirurgici ad corpora peregrina ex oesophago extrahenda, alimentaque et medicamenta liquida in ventriculum iniicienda*, auct. Cl. DE BEAVVE. Appellat Cl. Auctor instrumentum hoc *oesophageum* tum, cum corpora peregrina ex oesophago educit; et, si liquida eo in ventriculum ingeruntur, *cannulam oesophageam*. Adiectae sunt quatuor figurae aeneae, quarum prima *oesophageum apertum*, offert instrumentum; altera *cannulam oesophageam* ostendit. Adiicitur in figura tertia *firynga*, per quam, canulae appositam, liquida iniiciuntur, et in quarta *speculum oris*, quod interea os apertum seruet. Pleniori ideo non immoramur descriptioni, cum et delineatione melius conspici, et sine ea imperfecte tantum intelligi ea possint. p. 431.

4. Epitome literarum, Cl. KECK *de emendatione speculi* Cl. LEVRET, *ad ligandum veteri polypum*, a Cl. DVMONCEAV. Ligaturam polypi per torsionem, etsi cuilibet methodo praeferendam; multis tamen premi difficultatibus constat: quibus etiam Cl. LEVRET nouo ingenioso instrumento obuiam ire credidit, cuius historia et descriptio supra *), patuere. Adiungit Noster speculo duo parua manubria, per quae cuneus ligneus cum foramine, in eius media parte, per quod fila traiecta sunt, ducitur, vt inde tendi fila laxarique possint. Sed ex icone adiecta compositio melius et clarius intelligitur. Obiectiones sub finem Cl. DVMONCEAV soluit. p. 440.

5. *Re-*

*) vid. Iourn. an. 1768. mens. decembr. p. 538.

p. 444. 5. *Responsio* Cl. DEMOVRS, *ad literas* Cl. DESCEMET. Analysin eandem, quam Cl. DESCEMET, super Cl. Auctoris literas, ad Cl. SETH missas, instituit *), Noster circa theses chirurgicas, Cl. DESCEMET anno 1758. defensas, eiusque commentarium *de choroidea* **), in se suscipit. Summa huc redit: Laminam cartilagineam corneae, a Nostro in literis suis descriptam, et quoad originem et quoad magnitudinem prorsus a membrana Cl. DESCEMET humoris aquei differre. Deinde non in vtroque eius scripto quidquam inueniri, quod cum vsu, quem Noster suae membranae tribuit, conueniat. Nostrum denique longe ante Cl. DESCEMET communicationem huius
p. 461. partis cognitam habuisse. Cum Cl. DESCEMET camerae oculi adeo cognitae sint; problema hoc ad soluendum traditur: *vt vsum camerae tertiae humoris aquei, in quibusdam animalibus conspiciendae, determinet.*

Delibamus haec ex mense decembri:

p. 483. 1. Epitome *conseruationis infantum* Auct. Cl. RAVLIN ***).

p. 508. 2. Descriptio *anginae epidemicae et gangraenosae sub finem* 1765. *et initium* 1768. *in quibusdam Galliae locis saeuientis*, a Cl. PLANCHON. Epidemia haec, vtplurimum infantibus fatalis, ex transpiratione suppressa ortum ducens sub angina inflammatoria cum exanthemate rubro, quod rubeolos dixere, manifestabatur. Deglutitione sub initium non impedita, pituita alba, mucosa, tenax et foetida circa vnam amygdalam, mox alteram

*) vid. Iourn. de médéc. Tom. XXX. mens. april. p. 333.
**) vid. Mémoir des Scavans étráng. Vol. V. an. 1768.
***) vid. comm. nost. Dec. II. Suppl. I. p. 97. cet.

ram et velum palatinum cet. occupans, quae, ni-
si aufferretur, ſuffocationem minabatur, prodiit:
Febris vtplurimum altero, vel tertio die accedens
eruptionem produxit; haec vero motibus con-
vulſiuis et ipſa epilepſia interdum ſtipata eſt, nec
tum ad ſtatum peruenit; ſudores autem acceden-
tes critici erant: humores excreti, ita acres cutim
corrodebant: pulſu celerrimo et paruo, ſitique in-
genti, lingua viſcido albo obſeſſa erat: verſus de-
cimum vel decimum quartum diem ſudores criti-
ci vel diarrhoea morbum leuarunt. Adulti ſenſim
hoc morbo afficiebantur. Indole eiusdem paulla-
tim mutata, iam inflammatoria, iam putrida erat.
Venaeſectione, ſub ipſa eruptione adminiſtrata,
aegri ſaepius peribant; ea vero iuſte adminiſtra-
ta, vomitorioque et purgante datis morbus remitte-
bat. Gargarismata emollientia, reſoluentia et tem- p. 514.
perantia deglutitionem faciliorem reddidere; exter-
ne cataplasmata reſoluentia applicata conducebant:
quibus vires depreſſiares erant, venoeſectio noxia,
emeſis melior cum ſcarifatione amygdalarum iu-
dicabantur: febrem increſcentem veſicatorium,
nuchae applicatum, imminuit: decreſcentem mor-
bum purgans eo celerius terminauit. Tumor
capitis hic vt plurimum conſpicuus per diuretica
et purgantia hydragoga admodum leuatus eſt.
Adiiciuntur obſeruationes nonnullae et literae, p. 528.
Cl. DESWATINE ſuper eadem epidemia.

3. Obſeruatio Cl. MICH. ARNAVD, *de me-* p. 536.
taſtaſi critica, poſt variolas ad os ſacrum facta. Fe-
mina 24 anorum, ſymptomatis omnibus variolarum,
tunc temporis graſſantium, affecta a chyrurgo,
quem conſuluit, non ita bene tractabatur, vt et-
tiam eruptio, quam ex febre graui magnam et
copioſam ſuſpicabantur, veſiculas quidem, in va-
riis locis conſpicuas, ichore vero gangraenoſo,
plenas

plenas produceret. Per duos deinde fere menſes aegra continuo delirans, diarrhoea iam accedente critica cum materia nigra peſſimeque foetente, a chirurgo nunc deſerta ſibi ipſi relinquebatur: vbi, diaetae erroribus commiſſis, decubitus, materiae ichoroſae foetidae, ad femur ſiniſtrum, cum vlcere fiſtuloſo ad partem poſteriorem oſſis ſacri factus
p. 538. eſt. Hic Noſter accedens, aegram cum pulſu parvo, abdomine tumido et ſphinctere veſicae vrinariae relaxato, vt etiam incontinentia vrinae adeſſet, inuenit triſtiſſimam. Suppuratio in femore, iam per quatuor dies ceſſans, vtrumque femur valde tumidum, durum, et hinc illincue paruulis tumoribus obſeſſum reddidit. Vlceris fiſtuloſi ad os ſacrum Cl. Auctor primum curam habens, partes omnes fere gangraenoſo ſphaceloſas cum tribus ſinubus, quorum tertius inteſtinum rectum perforare minabatur, detexit: his ex regulis chirurgicis iuſte tractatis, melior facta eſt aegra. Ad
p. 541. miasma porro varioloſum, vt cauſam morbi, corrigendum, analeptica bona cum cortice Peruv. interne adhibuit: his et aliis antiputridis, cum crebrioribus balneis adminiſtratis, ita aegra reſtituta eſt, vt negotiis ſuis bene fungi poſſet. Ex ma-
p. 545. lo hoc variolarum euentu inſitionem variolarum, a funeſtis his ſequelis liberam, omnibus admodum commendandam eſſe coniicit.

In Tomo XXXII. ea continentur.

Tom. XXXII. Menſis ianuarius 1770. haec habet.

1. Epitome *ſynopſeos vniuerſae praxeos medicae*, cet. Auct. Cl. LIEVTAVD *).

p. 13. 2. Literae Cl. AVCANTE, ad Cl. ROVX, *de fetu quodam monſtroſo.* Canis femina quater catulos

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 219.

catulos monſtroſos cum ſanis ſimul peperit. Primo enim partu quatuor ſani et duo monſtroſi erant; quippe quibus duo pedes poſteriores deficerent, et labio leporino inſtructi eſſent. Altero vnum ſanum quatuor eodem modo monſtroſi comitabantur: tertio quatuor iidem monſtroſi et quarto demum vnus ſanus tres eosdem monſtroſos ſocios habuit. Monſtroſum Noſter quendam alere non potuit, cum fugere nequiret. Colligit Cl. Auctor ex hoc phaenomeno, deformitates infantum recens natorum, non imaginationi maternae; ſed malae conformationi vteri tribuendas eſſe, ex cuius nimirum complicatione euolutio partium embryonis impediatur.

4. Obſeruationes Cl. MARTEAV, *ſuper malo hyſterico, per corticem Peruuianum aliaque antiſpaſmodica, tonica et roborantia curato.* Noſter contra Cl. POMME*) diſputans, curas ſuas non miraculoſas aliis, qui aliam viam eligunt, non opprobrio obiicit, nec omnes morbos hyſtericos ex vna eademque methodo tractat; neque nomina aegrorum addit, cum nondum iure eo priuatus ſit, quod dictis ſuis fides habeatur, nec, quia ſibi ab aegris ſuis eiusmodi poteſtas facta ſit. Decem recenſet hiſtorias aegrarum, vtplurimum ex non iuſte ſuccedente fluxu menſtruo hyſtericarum, quibus cauſſis morbi variis, vario modo ſublatis, ſanitas bona et iuſta reſtituta fuit. Balnea ex aquis martialibus, corticem Peruuianum; radicem ſerpentariae Virginianae, moſchum aliaque antiſpasmodica et roborantia valde vtilia expertus eſt. p. 25.

5. Literae Cl. ROBIN ad Cl. COCHV *de ſectione cadaueris haemorrhoidarii.* Aeger triginta circi- p. 44.

*) Traité des Affections vaporeuſes. vid. comm. noſtr. Vol. X. p. 611.

circiter annorum, copioſas haemorrhagias narium infans paſſus, iisque poſtea ex ſuctione fumi tabaci ceſſantibus, haemorrhoidarius factus ingentem copiam ſanguinis per fluxum periodicum regularem amiſit. Variolis paullo poſt ſuperuenientibus, iisque male tractatis, fluxus regularis ordinem non amplius ſeruans; ingenti tamen euacuatione ſanguinis aegrum admodum debilem reddidit; a Noſtro vero iuſte tractatus, ſymptomata funeſta euanuerunt, fluxusque iterum regularis et minus copioſus factus eſt. Per grauem deinde errorem, cum tempeſtati ingratiſſimae ſe imprudenter expoſuiſſet, rebus eius peioribus redditis, tandem
p. 48. mortuus eſt. Cadauere aperto, magna copia aquae in cauitate thoracis, maiorque in pericardio inuenta eſt: cor iuſto maius, pulmones flaccidi, ſanguineque pallido albeſcenteque referti erant. Omnibus fere infimi ventris viſceribus ſanis, vena caua magnitudine inteſtinum rectum aequauit, ſanguineque pallido plena. Aegrum hunc adhuc vivum non vltra decem vncias veri ſanguinis habuiſſe Noſter ſuſpicatur.

p. 50. 6. Obſeruatio, *polypi vterini cum methodo facillima, eum per ligaturam curandi*, Auct. Cl. HERBINIAVX. Femina anno 1761. partu feliciter abſoluto, anaſarca poſtea, languore aliisque funeſtis ſymptomatis vexata, nec ab vllo medico, quos varios conſuluit, adiuta, ad Noſtrum tandem anno 1767, d. 27 maii, ex conſilio medici ſui familiaris acceſſit, qui ſtatum aegri luſtrans polypum in vtero ſuſpicatus eſt. Aegra, morti proxima, polypum, ad inſtar capitis infantis, digitis Cl. Auctoris inquirentibus obtulit. Durus ille fuit et inaequalis totamque vaginam repleuit: Noſter cum ſumma difficultate ad orificium vteri internum perveniens pedunculum eius, brachii magnitudinem

aequan-

sequantem, et ex vtero ipso egredientem detexit, cuius radicem ex signis, quae aegra Nostro communicauit, ad latus sinistrum fundi vteri circa originem ligamenti rotundi esse coniecit. Operationem Cl. Auctor, cui ipsa aegra lubenter se subiecit, instituit. Cum vero hic in eiusmodi ingenti polypo instrumenta Cl. LEVRET non sufficere viderentur; aliam methodum, quam multo ante sibi finxerat, elegit, adhibuitque duo noua instrumenta, quae *ferre-noeud* et *porte-anse* vocat, quaeque cum ipsa methodo applicandi fusius describit *). Ita aegram, quae primis diebus vehementissimos dolores sentiret; post sextum vero, accedente suppuratione copiosa, imminutaque febre, multo tranquillior redderetur, prorsus restituit, vt die decimo tertio, radice polypi soluta, totoque corpore eius propulso, ab omnibus symptomatis libera, suis iuste fungeretur negotiis. p. 57.

Mensis februarius notatu digna continet:

1. Epitome *tractationis methodicae et dogmatis de podagra* cet. Auct. Cl. PAVLMIER. Diuidit Cl. Auctor ex mente aliorum, podagram in calidam, *inflammatoriam* s. *erysipelaceam* et frigidam, *oedematosam*. Materia peculiaris, in sanguine nata, et ad partes, vbi effectis suis manifestatur, delata, caussam proximam refert. Occasionem ei praebent sex res nonnaturales, in quarum iniusto vsu caussas antecedentes s. externas, quas vocat, inuenit, inter quas haereditas nullam curationem Nostro admittere videtur. In podagra inflammatoria haec sibi indicari videntur, vt primo spa- p. 99.

*) Apparatum non multo absimilem Cl. KECK in hoc diario anni 1768. mense decembri, instrumentumque delineatum 1679. mense nouembri inuenies.

ſmum, per applicationem hirudinum reiteratam ſoluat: partibus deinde, per feceſſum materiae podagricae debilitatis, tonum reſtituat, ne ſymptomata redeant: cauſſam denique cooperantem per iuſtam diaetam iuſtaque remedia remoueat. Euacuationem materiae podagricae per ipſum locum affectum, per hirudines, ſcarificationes vel etiam cauteria admodum neceſſariam eſſe teſtimonio celebrium Auctorum, quos refert, et ex ipſa ſua experientia probat, vbi hirudines ſolae, quarum praeſtantiam ex principiis phyſicis et mechanicis ipſumque mechaniſmum examinat, ſatisfacere Noſtro videntur. Obiectiones, forte hic oriundas, rite ſoluit, oſtenditque, ſanguiſugas in inflammatoria non ſolum, ſed in eryſipelacea etiam conducere; cum ipſae vero non ſemper inflammationibus ſufficere videantur, venaeſectiones aliaque iuſta remedia addenda eſſe ſuadet. Iſchiadem, morbo noſtro analogam, in *veram* et *ſpuriam* diſpeſcit. In illa ſedes mali in ipſa articulatione capitis femoris, vel in ipſis tunicis nerui iſchiadici haeret; haec humorem morboſum in membranis muſculorum habet: abſentia febris, tumoris, ruboris et tophi morbum hunc a podagra diſtinguunt. Venaeſectiones in brachio, vel ſi plethora adeſt, in pede, ſcarifationes in loco affecto, hirudines, rubefacientia vel etiam veſicatoria in lumbis et femoribus ſuadet; vel etiam in malo habituali cauteria. Spuriam plerumque ſuſtulit per ſola balnea ex vuarum ſucco parata. Rheumatiſmus, podagrae non abſimilis, in *arthriticum* et *ſimplicem;* in *vniuerſalem* et *partialem* diuiditur. In morbo habituali induſia ex panno aſpero, et in partiali hirudines commendat. Species reliquas podagrae, quas fuſius recenſet, omittimus.

p. 103.

p. 112.

p. 115.

4. Ob-

4. Obſeruatio Cl. DVPONT *de abſceſſu renum, ſponte rupto et per ſe curato.* Puer duodecim annorum, colica nephritica affectus, nullis adhibitis remediis leuatus, duodecim diebus poſt magnum ſonum, rupturam membranae cuiusdam indicantem, percepit. Doloribus iam ceſſantibus, hypogaſtrium aeque, ac ſcrotum rubuere, inflammataque per quinque dies manſere. Iam vero duabus aperturis, ad raphen altera, altera circa annulum lateris ſiniſtri ſponte factis, magna copia puris effluxit, vrina non commixta, quae pura per vrethram et foramen ad raphen ſeorſim exiit. Symptomatisque peſſimis ſubſecutis de aegro deſperatum eſt; praeter omnem vero ſpem ita per ſe conualuit, vt, materia purulenta ex abſceſſu renis ſiniſtri ſub membranis muſculorum, ligamento POVPARTII ad perinaeum et darthos deſcendente, copioſius euacuata, vrinam iam per hanc artificialem aperturam aeque ac per vrethram excernat. p. 135.

6. Obſeruatio *paſſionis iliacae* a Cl. BVREL. Vir triginta quinque annorum temperamenti melancholici, debilisque conſtitutionis, ab ineunte aetate doloribus vehementiſſimis in regione iliaca ſiniſtra cum conſtipatione alui, vomituritione et febre affectus, per copioſas paullo poſt euacuationes aluinas materiae durae tenacisque, his ſymptomatis liberabatur. His periodice recurrentibus, et a Noſtro ſemper leuatis, anno 1768. eiusmodi gravem inſultum aeger expertus eſt, qui nec optimis medicinis cederet, potiusque in dies augeretur, ita, vt quinto die, cum ob continuum vomitum ſingultumque, qui materiam faeculentam redolerent, ne quidquam ingerere poſſet, morti proximus a Noſtro iam crederetur. Corticis tandem Peruviani infuſum cum manna, confectione hyacinthi et ſale volatili viperae cochleatim ingeſſit; p. 140. p. 145.

horisque duabus poſt, cum vomitu non reiiceretur, alteram decoctionem chinae ſine purgante ſubiunxit, quibus euacuationes aluinas copioſas habuit: hisque per aliquot dies continuatis aeger optime convaluit. Hinc patere Noſtro videtur, materiam in hoc morbo, vomitu reiectam, feculentam non ipſas feces ex inteſtinis craſſis eſſe; ſed alimenta eo facilius hoc foetore imbui, quo diutius in inteſtinis tenuibus morentur, quoue plus caloris et humorum, alimenta corrumpentium, in paſſione iliaca obſeruentur.

p. 157. 9. Obſeruatio Cl. BEAVSSIER *de aneuryſmate arteriae ſplenicae, cuius parietes oſſificati erant.* In cadauere feminae 60 annorum, cuius aortam et venas crurales ad partes genitales praeparandas maſſa ceracea iniecit, eam per totam arteriam ſplenicam non penetraſſe Noſter vidit. Detexit nimirum eam dilatatam, et in medio eius ex aorta verſus lienem curſu tumorem peculiarem, nucis paruae magnitudinis, qui latera arteriae oſſea oſtenderet; et aequalis, ſed paullo minor ante lienem conſpiciebatur. Perſequitur poſtea Cl. Auctor cauſſam aneuryſmatis oſſificationisque, quas ex hypotheſi Cl. DVHAMEL et HALLER, cui adp. 163. ſentiri videtur, magis illuſtrat. Reperit porro veſiculam felleam, pyloro vicinam, ductumque choledochum iuſto longiorem craſſioremque, et ante ingreſſum in duodenum plane obſtructum.

p. 179. 11. Obſeruatio Cl. DENIZE DE BEZVS *de tribus abſceſſibus abſque praegreſſa inflammatione.* Virgo 33 annorum, phlegmatica, tres ſucceſſiue in brachio tumores frigidos Noſtro obtulit: quos examinatos et maturos redditos aperuit, ex quibus verum et bonum pus exiit: patere inde videtur, non ad omnem puris formationem inflammationem neceſſariam eſſe.

Haec

Haec ex menſe martio eligimus.

1. *Diſquiſitiones practicae variarum methodorum morbos venereos curandi*, Auct. Cl. GARDANE *). p. 196.

3. Literae Cl. VIGER *ſuper lacte coloris roſei per aliquot dies ex mammis puerperae effluente.* In puerpera, ex lochiis ceſſantibus peſſimis ſymptomatis affecta, iuſtisque medicamentis reſtituta, hoc admiratu dignum videtur: lac ex mammis effluens et linteo quodam exceptum, colorem album, per dimidiam horae partem et vltra, ſeruans, in roſeum eiusmodi viuidum et tenacem mutatum eſſe, quem nec aqua ſimplex, neque aqua ſaponacea prorſus poſſet extinguere. p. 222.

5. Obſeruatio *vomitus cruenti*, morbo nigro Cl. TISSOTI *analogi*, Auct. Cl. GVIGOV DELACHAND. Vir duo de quadraginta annorum dolore ventriculi valde vexabatur. Noſter dolorem hunc verſus curuaturam ventriculi paruam (*au creux*) fixum, febrem cum pulſu paruo frequenti et facie inflammata inuenit: methodo antiphlogiſtica aegrum iuuit. Inſultu hoc iterum cum febre per quinque dies continua et eruptione miliari accedente iisdem remediis aeger liberatus eſt. Cum denuo eadem ſymptomata aegrum paullo poſt invaderent; leui purgante dato, cauſſam detexiſſe videbatur: duabus enim horis poſt maſſam carnoſam, quam poſtea ſanguinem grumoſum inuenit, aeger euomuit, quam cauſſam guſtus ſanguinis in ore, deiectiones nigrae, dolor grauatiuus ad ventriculum et vomitus ſanguinei vlterius confirmarunt: hinc contra haemorrhagiam methodum curandi dirigens aegrum meliorem reddidit; pulſu vero nunc duriore, hirudines vaſis haemorrhoidalibus applicuit: ſymptomatis iam ceſſantibus, icterus vniuerſalis ſuperuenit, qui, etſi iuſtis remediis pel- p. 237. p. 240.

*) vid. comm. noſtr. decad. II. Suppl. III.

leretur; diaetae tamen erroribus, quos saepius aeger commisit, paullo post, praegressa diarrhoea colliquatiua, retrocessit cum subsecuto ascite letali, quo etiam succubuit. Ictus ante quinque menses versus ventriculum accusatur. Quaerit tandem Noster ex Cl. TISSOT, ad quem haec obseruatio dirigitur, vtrum iste sanguis ater ex stagnatione in ventriculo proueniat, et an ille *morbum nigrum* designet?

p. 264. 8. Nouae obseruationes *bronchoceles, per vsum internum pulueris testarum ouorum calcinatarum curatae*, Auct. Cl. DAPEYRON DE CHEYSSIOL*). In virgine quindecim annorum, tumore duro in collo, mobili, indolente et duas tertias pugni magno, quem Noster veram bronchocelem cognouit, vexata, diureticis primum, laxantibus et denique puluere testarum ouorum calcinatarum, cuius scrupulos duos in tribus cochlearibus vini rubri bis de die aegra sumsit, ita bene vsus est, vt tricesimo die tumor prorsus dispareret: eamdem methodum in iuuene septendecim annorum, eodem morbo affecto, cum eodem euentu adhibuit. Putat Noster, testas has calcinatas, ad modum salis alcalini, in vias vrinarias egisse.

Ex mense aprili haec nobis offeruntur:

p. 336. 5. Obseruatio Cl. BOSSE *de vermibus in pustulis cutis inuentis.* Querebatur aethiops femina viginti quinque annorum, de dolore insigni prurigine in humero sinistro: inueniebantur ibi pustulae, quae superiorem et anteriorem brachii partem occuparent, cum rubore et tensione: quarum vnam Noster eminentem compressit, vnde pus clarum et sanioſum effluxit; sed et vermiculum ad orificium dele-

*) Lecta in solemni frequentia Academiae Reg. Scient. Monspelienſis d. 12. ian. 1769.

detectum facillime extraxit. Sic ex qualibet pustula vermiculum exemit, quorum numerus erat triginta. Quorum originem quominus ex sanguine corrupto deriuet, bonus habitus corporis impedit. Si ex causſa interna veniant, an ex vſu frugum aliorumque vegetabilium, quibus copioſe veſcuntur, et aqua impura, illis frequenti? Vel, quod probabilius videtur, externe per poros cutaneos, ipſis ſemper fere patulos, hos vermiculos intraſſe, cum eiusmodi homines dormiendo terrae incumbant. Conuenerunt cum aſcaridibus.

6. Obſeruatio Cl. MONGIN *vermis, ex tunica coniunctiua oculi exemti.* Vermem Noſter, vnum et dimidium pollicem longum, et chordam inſtrumentalem craſſum, coloris cinerei, altera extremitate maiorem, quam in altera, in vtraque vero valde acuminatum, intra coniunctiuam et albugineam haerentem, aperta coniunctiua exemit, qui maximum dolorem aegrae, per viginti quinque horas, ſed ſine inflammatione cauſauerat. In ſanguine natum et huc traductum eſſe credit. p. 338.

7. Obſeruatio *de fiſtula ani, absque operatione curata*, Auct. Cl. MARRIGVES. Femina 40. annorum, haemorrhoidaria, iam per duos annos ſinu fiſtuloſo circa anum laborauerat, cuius apertura exterior, ſiniſtrorſum vnum et dimidium pollicem ab orificio ani diſtans, vix perceptibilis iam claudebatur, vnde integumenta cum contextu celluloſo vicina, tumida et admodum dura redderentur cum dolore vehementiſſimo. Accedens Noſter cataplaſmatibus maturantibus aliisque topicis, praegreſſa venaeſectione, aliam aperturam, inter priorem et orificium ani produxit. Fiſtulam iam Noſter examinans cum inteſtino recte eam haud communicare cognouit. Erat porro quatuor et dimidium pollices longa et ad introitum duabus val- p. 339.

vulis, altera verſus nates et aperturam priorem, altera verſus labia externa pudendorum directa inſtructa, ſuperficie interna pallido liuida, dura et calloſa. Operatione ab aegra reformidata, et, cum fiſtula eſſet incompleta, inteſtinumque rectum intactum, methodum, quam chirurgia aliam ſuadet, iuſto diuturniorem, cum emollientibus, ſuppurantibus et depurantibus ſecutus eſt, qua id effecit, vt poſt octo menſes perfecte ſanaretur.

p. 351. 9. Obſeruatio *de hydrocele vera*, Auct. Cl. DE LATTRE. Infans tumore connato in latere dextro ſcroti pariebatur, quem chirurgus, poſt duos menſes accedens, pro hernia connata adſumens per duos annos, ſine fructu tractauit. Tumorem iam increſcentem alii chirurgi veram hydrocelem eſſe intellexerunt, puncturaque aliisque topicis et internis remediis, hydragogis, reſoluentibus diureticisque aegrum, per decem annos, palliatiue tantum iuuarunt. Noſter tandem tumorem examinans oblongum eum inuenit, aqua in tunica vaginali chordae ſpermaticae incluſa. Sedes erat in latere tantum dextro, ſepto nondum diſrupto. Cum cauſſa morbi Noſtro idiopatica videretur, ad operationem acceſſit, vnde puer poſt menſem iuſte reſtitutus eſt.

Notamus ex menſe maio:

1. Excerptum tractationis *de variis capitibus phyſiologiae, pathologiae et therapiae*, Auct. Cl. FABRE *).

2. Obſeruatio Cl. LE MEILLEVR *de cordis in anate reperta oſſificatione completa.* Cordis forma et ſtructura naturalibus, auriculae duae totae magis, quam reliquae partes, oſſificatae: particula quaedam, numi parui Gallici magnitudine, tota oſ-

ſea:

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 627.

ſea: reliquae partes plus minusue oſſificatae: nullum veſtigium ſubſtantiae muſculoſae, neque trabium carnearum in ventriculis: ſeptum membranaceum tenuiſſimum, vtraque cauitas, ſanguine coagulato plena. Erat hoc animal ſanum vegetumque ad mortem vsque. Quae fuerint ſyſtole et diaſtole? ex phyſiologis quaerit.

6. *Duae obſeruationes* Cl. MASARS DE CAZELES *communicatae* a Cl. AVDOVX I. Paſtor quidam a vipera in digito medio morſus, partem laeſam paullo poſt admodum tumidam, cum anxietate cordis et vomituritione coniunctam, ſenſit. Auxiliis domeſticis fruſtra applicatis, vt etiam totum brachium intumeſceret, aegerque admodum debilis redderetur. Noſter iam accedens aegro theriacis in decocto carnis viperae propinatis, brachioque epithematis bonis fruſtra applicatis, ſcarificatione circa partem laeſam meliore effectu vſus eſt, ita, vt, his et prioribus cum ligatura per tres dies continuatis, aeger reſtitueretur. Obſeruauit poſt conualeſcentiam in toto latere ſiniſtro maculas nigras, in flauas poſtea abeuntes, quae ecchymoſin ſimularent. Icterum vero, morſui viperae alias ſolemnem dictum, vidit; maculas vero vel ligaturae, vel veneni indoli coagulanti tribuit. 2. Vulnere alius ſclopeti in media parte oſſis temporum ſiniſtri, ab inferiori verſus ſuperiora directo, percutiebatur. Aegri, poſt quartam horae partem ex lipothymia redeuntis, vulnus Noſter examinans integumenta dilacerata, granis plumbi referta vidit: oſſe quoque nudo, fracturam profundam partis mediae et ſuperioris oſſis temporum detexit, ex qua multas ſpinas extraheret: aegro ad tertium diem iuſte tractato, ipſa fractura trepanationem, quam iam inſtituturus erat, Noſtro obtulit, cum foramen rotundum a ſuperioribus p. 338.

ribus deorſum vergens, perſpiceret. Symptomatis fere nullis vulnus breui ſanatum eſt, relicto parvo vlcusculo, ita, vt aeger rebus ſuis bene praeeſſet. Poſt ſex vero menſes ſubito mortuus eſt.

p. 485. 8. Obſeruatio *entero-epiplocelες cum partibus gangraenoſis, absque operatione curatae*, Auct. Cl. D. BONEIX. Herniam hanc feminae quinquagenariae pulſus paruus et frequens, facies depreſſa cum vomitu, per tres dies continuo bilioſo, faeculento, alui conſtipatio, tumor et tenſio abdominis cet. comitata ſunt. Adhibitis bonis remediis, ſymptomata nunc paullo mitiora, tertio die, repoſitione ſaepius fruſtra tentata, nec iam, viribus omnibus fere exhauſtis, operatione tentanda, aegra morti proxima a chirurgo relicta eſt; nihilo tamen minus certior poſt ſeptem dies redditus, tumorem rupiſſe, vermemque ad ſex pollices longum exiiſſe. Chirurgus accedens partes omnes gangraena deſtructas reſecuit, vnde apertura ad inſtar oui gallinacei relinqueretur, per quam poſtero die faeces exierunt, vt inde colon ipſum laeſum eſſe pateret. Aegra vero iuſta encheireſi poſt menſem recte ſanata eſt.

Ex menſe iunio annotatu digna videtur:

p. 519. 3. Obſeruatio *de effectu ſalutari* baſilici ſyluestris *in fluore albo* a Cl. BAION. Plures nigritas, quippe quarum magna pars fluori albo ſubiecta eſt, fluore albo aegras, remediis omnibus, in eiusmodi morbo indicatis, fruſtra tractauit, vsque dum quidam ipſi plantam hanc admodum commenda-
p. 529. ret. Planta haec, in hac colonia admodum frequens, a noſtro baſilico eo tantum differt, vt odore fragranti illa multo minor ſit. Amat prata humida; pecoribusque valde grata; indole amara gaudet. Non niſi ſuccum expreſſum eius in vſum vocauit; interim extractum eius, quod inde parari poſſit,

poſſit, ad omnes alias prouincias optime tranſportandum, ipſamque plantam ibi bene colendam fore non dubitat. Succi eiusmodi vnciis duabus, omni mane ab aegris per menſem deglutitis, perfectam vtplurimum vidit ſanitatem. Praeparatione vero iuſta, regimine tenui diaetaque attenuanti ex lacte ceruino opus fuere, eaque Noſtroque ſatis fecere.

VII.

Anfangsgründe der Naturgeſchichte, entworfen von IOHANN CHRISTIAN POLYKARP ERXLEBEN, *der Weltweisheit D. und Prof. auf der George Auguſtuniverſität, des Königl. Inſt. der Hiſt. Wiſſ. zu Göttingen, der Königl. Landwirthſchaftsgeſellſch. zu Zelle und der Bataviſchen Societät der Experimentalphiloſ. zu Rotterdam Mitglied. Zwote und verbeſſerte Auflage, mit 6 Kupfertafeln. Göttingen und Gotha, bey Iohann Chriſtian Dietrich, 1773. 8. 1 Alph. 18¼ Bogen.*

h. e.

Compendium hiſtoriae naturalis, Auctore IOANNE CHRISTIANO POLYCARPO ERXLEBEN, philoſophiae doctore et profeſſore, etc.

Vniuerſam trium naturae regnorum contemplationem, quam hiſtoriam naturalem vniuerſalem nominat, omni concinnitate, ordineque eximio, habita quoque legum earum, quas compendium requirit, ratione diligentiſſima, Cl. Auctor hoc libro, academicis praelectionibus adaptato, ſuſcipit. Oſtendit enim diſcrimen inter corpora, organis

organis praedita, et iis carentia: docet compositionem priorum atque vitae, nutritionis, incrementi ac generationis rationem. Indicat dissimilitudines conuenientiamque inter plantas et animalia, atque cum externam, tum interiorem eorum fabricam anatomice ac physiologice perlustrat. Mineralium denique originem variam disquirit. Recenset diuisiones animalium, plantarum, atque mineralium; omniumque proprietates, ita, vt vniuersa natura vno intuitu perlustretur, enumerat. Procul igitur abest, vt solis nominibus externisque signis distinctiuis occupetur, vt ostendat potius, historiam naturalem esse physicam specialem omnium corporum naturalium. Sic itaque lectione huius libri attenti fiunt naturae studiosi ad omnia phaenomena, in tribus regnis euenientia: generalique hac instructione apti redduntur, vt aliorum praestantissimorum Auctorum scripta, praesertim LINNAEI legere cum fructu possint. Sequitur Noster fere vbiuis systema Linnaeanum, atque ad huius ductum, praemissis introductionibus, animalivm classes, singulam separatim, considerat, postea vegetabilium mineraliumque addit historiam; ita tamen, vt et aliorum methodos indicet, earumque commoda vitiaque ostendat, ac praesertim in vegetabilium diuisione ordines naturales suos exponat. Libros optimos quosque vbiuis sollicite indicat, additque in hac noua editione recentiores selectiores: vti etiam icones, quae terminos partium notabiliores illustrent.

Non possumus, quin his generatim dictis singu-
p. 6. las etiam quasdam Cl. Auctoris sententias addamus: omissa, quae maximam et praecipuam libri partem efficit, egregia partium terminologia, cum ea quidem

dem omnino ſit neceſſaria; non tamen noua. Limites trium naturae regnorum adeo certos iudicat, vt nulla poſſint reperiri corpora, quae, quaſi in medio poſita, illa ſecum coniungant: etſi, difficile interdum haec ſigna diſtinctiva indicari, concedit. BVFFONII hypotheſin de generatione *) reiicit, atque theoriam generationis per euolutionem aſſumit. Animalium compoſitorum **) originem ita explicat, vt in omni corpore diſperſa rudimenta aſſumat, quae ſua vi ſimul, ac conuenienter nutriantur et euoluantur; in quibus etiam reproductio partium manifeſte conſpicitur, quam quidem in aliis omnibus aliquo modo p. 84. fieri putat. Cum membrana neruea, in lamina cochleae ſpirali expanſa, ſedes ſit auditus, mirum videtur, eſſe animalia, quae cochlea careant; nihilo p. 121. minus tamen audiant. Numerum probabilem omnium animalium aſſumit 25000; LINNAEVS vero in ſyſtematis editione nouiſſima, additis p. 131. Mantiſſis, recenſet 6137. In fetu vrinam per vrachum in alantoin excerni affirmat. p. 145.

In *Mammalium* diuiſione iure Noſter a LINNAEO in quibusdam recedit. Sic enim *Rhinocerotem* ad ordinem *Brutorum* refert, cum, etſi dentes quodammodo differant; habitu tamen cum his conueniat. Deinde quartum ordinem *Beſtiarum* iterum aſſumit, quibus dentes primores in medio a ſe inuicem remotos, laniarios vtrinque plures, et naſum prominulum tribuit. Genera huc relata ſunt *Sus*, *Erinaceus*, *Talpa*, *Veſpertilio*, quem et ratione dentium, et quoad habitum ad hunc ordinem pertinere affirmat, *Sorex*, atque *Didelphis*.

*) vid. *Hiſtoire naturelle* Tome III. p. 78.
**) vid. LINN. amoen. Vol. 5. p. 343. comm. noſtr. dec. I. ſuppl. I. p. 111.

phis. Ad quintum *Glirium* ordinem addit *Cauiae* *) genus.

p. 189. Dubitat Cl. Auctor, an omnibus amphibiis sint penes duo; assumit deinde GRONOVII diuisionem *Lacertae* in plura genera: *Anguis quadrupes* vel magis *Lacerta* esse videtur, vel ea et *bipede*, *Lacertae* cum *Serpentibus* connectuntur.

p. 213. Pisces audire existimat, etsi alio et diuerso ab animalibus, in continente viuentibus, modo **).

p. 233. Nondum certo effectum esse putat, insecta oculis res propinquas et minores perlustrare; ocellis vero remotas maioresque cognoscere. Neque iis auditum et olfactum denegari posse contendit, cum quaedam illorum saltim his sensibus sint praedita.

p. 243. Neutrae *Apes* Nostro fere videntur cum Cl. SCHIRACH ***) feminae non plane euolutae.

In ordine *Insectorum* non recedit a Linnaeano, praeter, quod genus *Cancri* ex GRONOVIO diuidat in *Emeritam*, *Squillam*, *Cantrum* et *Astacum*.

p. 270. Ad *Vermes Intestina* refert *Trichurin* ROEDERERI et *Furiam* LINNAEI. *Nereidis* genus ex MVLLERO ****) diuidit in *Naidem*, *Nereidem*, *Aphroditen* et *Amphitritem*. Diuisio *Zoophytorum*, a Cl. PALLAS †) data, Nostro Linnaeana magis placet.

Enarratis

*) vid. supra p. 351.

**) cf. Cl. CAMPER *verhandeling over het Gehoor der geschubde Vissben.* comm. nostr. Vol. XVII. p. 460.

***) cf. ADAM. GOTTL. SCHIRACH, *Erläuterung der Kunst iunge Bienenschwärme oder Ableger zu erziehen. Budiss.* 1770.

****) vid. OTTO FRID. MVLLER, *von Würmern des süssen und salzigen Wassers*, Kopenh. 1771. 4.

†) vid. EIVSD. *Elenchus Zoophytorum.* comm. nostr. Vol. XV. p. 153.

Enarratis, quae ad hiſtoriam vegetabilium per- p. 410.
tinent, atque aliorum methodis naturalibus: Cl. Auctor ſuam diuiſionem recenſet, quam naturalem, etſi non perfectam, iudicat, et ſequentes ſexaginta tres ordines conſtituit: verticillatas, perſonatas, luridas, ſepiarias, ialapas, aggregatas, caprifolias, ſtellatas, cucurbitaceas, campanaceas, vmbellatas, compoſitas ſemifloſculoſas, compoſitas capitatas, compoſitas diſcoideas, compoſitas oppoſitifolias, compoſitas nucamentaceas, coniferas, amentaceas, coadunatas, tricoccas, terebinthinaceas, trihilatas, papilionaceas, dumoſas, drupaceas, pomaceas, ſenticoſas, multiſiliquas, rhoeadeas, ſiliquoſas, putamineas, columniferas gruinales, ſucculentas, caryophylleas, precias, rotaceas, contortas, aſperifolias, ſcabritas, oleraceas, vaginales, vepreculas, bicornes, arbuſtiua, calycanthemas, calyciſloras, inundatas, ſarmentaceas, coronarias, ſpathaceas, ſcitamineas, orchideas, enſatas, tripetaloideas, gramina, calamarias, piperitas, palmas, filices, muſcos, algas, atque denique fungos. Tum recenſet inſignem copiam plantarum, quae ad hos ordines non redigi poſſint. Numerum vegetabilium probabilem eſſe putat Noſter 15000: LINNAEVS 10000, ADANSONVS 43000, horum prior in Syſtemate deſcribit circiter 8000.

Mineralogiae ſyſtema ex ſola mixtione minera- p. 504.
lium deſumendum eſſe, eamque, quae ex ſolis ſignis externis deſumitur cognitio, imperfectam et empiricam eſſe Cl. Auctor affirmat. Ex hac mixtione igitur diuidit omnia mineralia in *Terras*, *Salia*, *Inflammabilia* et *Metalla*; diuiſionem breuemque ſimplicium corporum deſcriptionem affert, ita tamen, vt in generibus ſolum ſubſiſtat. *Ter-*

ras et *Lapides* coniungit, cum limites non dentur, et in accidentalibus tantum differant. Ceterum coniicit, hanc esse facillimam tutissimamque mineras diuidendi methodum, si, cognitis simplicibus corporibus, quae minerarum maximam partem efficiant, magis composita disquirantur, atque ex illis haec ordinentur *): promittitque, se proxime ad hanc normam elaboratum systema editurum esse: quod, cum egregiam Cl. Auctoris naturae cognitionem ex hoc libro quilibet intelligat, omnibus naturae studiosis gratum acceptumque fore iudicamus.

VIII.

Exposition des variations de la nature dans l'espece humaine, ou l'on demande, si posées les loix naturelles les plus générales sur lesquelles portent l'ordre et l'harmonie du corps humain, la nature peut quelquefois s'en écarter; par Mr. T. GVINDANT, des Facultés de Médécine de Paris et de Montpellier, ancien Médécin de l'hôtel-dieu d'Orleáns, du collége de Médécine et de la société Royale d'agriculture de la même ville. à Paris chez Debure, pere 1771. 8. pagg. 240.

i. e.

Expositio varietatum naturae in genere humano, Auctore T. GVINDANT.

Quum natura, semper sibi similis, leges certas constituerit; ad quas omnia, quae fieri videamus, dirigantur: Cl. Auctor etiam in hoc libello, in quo vim potestatemque naturae in homine sano

*) cf. Cl. Auctoris, *Betrachtungen über die Ursache der Unvollständigkeit der Mineralsysteme. Gött.* 1768. 4.

ſano contemplatur, has leges primo attendit; earumque duas conſtituit claſſes, alias generales, quae in omni homine viderentur eſſe adhibitae, vt homo reſpiret, excernat, nutriatur, dormiat, creſcat et gignat vel pariat; alias particulares, quae ex minus frequenti praeſentia nobis viderentur peregrinae, quamquam nihilo minus eſſent aeque et ſimplices, et conſtantes, ac priores. Non igitur eſſe quaedam monſtra in genere humano, ſed, eodem modo, vti in vegetabilibus deprehendantur ſpecierum varietates, ita etiam in genere humano varias eſſe ſpecies, atque in iis peculiares varietates. Non igitur magis monſtra, quae dicantur, vere talia eſſe, quam ſi quis plantas hermaphroditas vel alias diuerſitates monſtroſas habere vellet. De his igitur varietatibus exponendis, inquirendis, atque ex cauſſis deriuandis potiſſimum agitur; de quibus pauca tantum hic afferamus.

Omnibus igitur legibus naturalibus generalibus enarratis, oſtendit Cl. Auctor aberrationes ab his atque varietates. Ac primo quidem reſpirationis neceſſitatem non generalem eſſe, probare Ei videntur notiſſima exempla vrinatorum, quorum plurimi ſatis diu ſub aqua, absque omni vel veſica, vel campana viuant, lethargicorum atque inebriatorum. Praeterea id confirmant et Batauus quidam, qui per octo annos ſub aqua vixit, atque Praefecto Batauo, cum oris maritimis commoraretur, apparuit, cumque is eum capeſſere inſtitueret, protinus in mare iterum ſe praecipitauit; et alii, quorum alter poſt balneum ſub aqua diu remanſit, ſine aliquo incommodo; alter vero, Auctori affinis, vt piſces caperet, diu ſub aqua in fundo fluuii ambulauit, neque quidquam ei nocuit. Ita etiam legem generalem excretionis exceptiones pati, probat exemplis hominum, praeſertim p. 61. p. 73.

ſertim grauidarum feminarum, in quibus haec exeretio diu ſatis interrupta cernitur. Collecta ex veteribus et recentioribus exempla demonſtrant, ipſam etiam nutritionem ſomnumque diu ſatis abeſſe in quibusdam hominibus poſſe, atque dari etiam inſignem varietatem, cum quoad celere vel tardum incrementum, tum quoad inſignem vel minorem corporis proceritatem.

p. 97. Sterilitas quoque et impotentia virilis copioſiſſime adſunt, quae tamen ſine noxa oeconomiae animalis feruntur. Ad nutritionem fetus et grauiditatem accedens Noſter in iisdem etiam copioſas deprehendi varietates oſtendit, atque adeo credulum eum inuenimus, vt grauiditatem viginti trium menſium poſſibilem cenſeat. Poſtea recenſet fetuum varietates, acephalorum, eorum, qui vel dentibus praediti naſcuntur, vel per omnem vitae curſum quibusdam carent, piloſorum, coecorum, mutilatorum extremitatibus ſuperioribus, vel inferioribus, vel partibus genitalibus, hermaphroditorum, quos igitur vere vti in plantis, et vermibus, reperiri affirmat. Praeterea naſcuntur homines lingua vel priuati, vel duplici inſtructi, aliique, in quibus viſcera, etiam maxime neceſſaria, vt cor, pulmones, ventriculus, hepar, aliaque vel deſunt, vel abundant. Multis deinde Cl. Auctor probare annititur, haec omnia variantis naturae exempla, non eſſe monſtra habenda, ſed tantum varietates, in quibus naturae leges eundem finem obſeruauerint. In qua tamen diſtinctione verbis magis, quam re a celeberrimis noſtri ſeculi Auctoribus diſſentire Noſter videtur. An vero exinde, quod quaedam reperiantur a communi lege exceptiones, omnia, quae narrentur exempla, fide digna ſint habenda, quod Cl. Auctor vult, nec ne, aliis diiudicandum relinquimus.

Sub-

Subiungit Cl. Auctor quaedam exempla mulierum, quae per vndecim menſes grauidae fuerunt: quarum prima, poſt grauiditatem ſatis periculoſam, puellam peperit; altera vero, doloribus partus per duo menſes durantibus, enixa eſt filiam hydrope laborantem. Ipſa grauida in grauiditate hydrope laborabat, quo, inſigni copia aquae excreta, liberabatur. Facies tamen poſt partum remanebat inflata, ac dorſum humerique manusque fugillata erant. Poſt menſem autem omnia haec diſparuerant.

Spondet Cl. Auctor, ſe librum, trium regnorum varietates recenſentem, editurum eſſe, rogatque quoscunque, vt cum eo nouas obſeruationes communicent: quod, vt feliciter ſuccedat, atque iuſta relatorum auctoritas fide digna maxime attendatur, vehementer optamus.

IX.

Erfahrungen und Unterſuchungen über den Menſchen. Berlin, im Verlag der Buchhandl. der Real Schule. 1772. 8vo *S.* 320.

h. e.

Experientiae et diſquiſitiones ſuper homine.

Quum certum ſit, doctrinae de homine omnes reliquas artes doctrinasque humanas, ceu totidem aedificia communi fundamento inniti; Cl. vero huius libri Auctor ſubtiliter ſatis atque eleganter de eadem ſit commentatus, applicueritque anatomen ad varia pſychologiae capita illuſtranda, operae pretium iudicauimus, indicare hunc librum, quoque modo argumentum ſit tractatum, ediſſerere. Ita nimirum Auctor verſatur, vt primo

mo corpus, quatenus ſenſuum motusque inſtrumentis praeditum eſt, conſideret; in altera vero libri parte de ſenſibus vique animi motrice exponat.

p. 6. Ab initio igitur, naturae et HALLERO fidus, ſenſus et motus organa deſcribit ſuccincte. Senſus ſedem, vt et motuum originem non in nervis, ſed in cerebri loco quodam, incognito tamen, haerere euincit. Diſquirit inde hypotheſes, quibus, qua ratione ſenſus motusque fieret, conati ſunt
p. 38. viri docti explicare: et, quamuis fluidum nerueum eſſe largiatur; ſolidas tamen cerebri neruorumque partes haudquaquam pro inertibus habendas eſſe monet: id quod potiſſimum ex earundem copia patere dicit, quae, ſi inertes forent, tanta vtique non eſſet futura. Et licet pulpoſa mollisque earum natura ab elaſtica et irritabili virtute multum videatur abeſſe, nec inſtrumentis laceſſita harum virium documenta praebeat; vero tamen ſimillimum putat Auctor Cl., eſſe eas permobiles elaſticasque, vtpote quum concretae ſint ex moleculis ſubtiliſſimis, vltimamque et perfectiſſimam elaborationem paſſis, quum velentur forte tantum rudiori et craſſiori materia circumfuſa, quum denique ob teneritudinem ſingularem rudiorum noſtrorum inſtrumentorum, quibus irritare eas conamur, impreſſiones nullo modo capere vel poſſint, vel et debeant. Ipſam vim neruorum cerebrique, quam ſenſibilitatem dicimus, in vernacula lingua mauult Noſter *Empfindſamkeit* vel *Fühlſamkeit*, quam *Empfindlichkeit* appellare.

p. 36. Vbi deinde de iis perceptionum et idearum affectionibus, quae e neruorum et cerebri natura plus minus certo explicari poſſunt, agit, oſtendere ſatagit, ad ſenſationem vel ſimplicem non vnius

forte

forte fibrae nerueae, ſed omnium eiuſdem pariter atque communicantium nerueorum filorum commotionem requiri; quem tam copioſarum fibrarum motum ab vno tantum obiecto cieri, et ſimplicem adeoque ſenſationem conſtituere, animus demum iudicio pernoſcat. Differentiam ſenſationum, in eodem organo productarum, repetit a varietate impreſſionum, quae diuerſa obiecta excitant in neruis iisdem omnibus, argumentisque variis refutat Cl. BONNETI opinionem, qua cuicunque ſenſationi diuerſorum obiectorum peculiare filum nerueum deſtinatum eſſe aſſeritur. Senſationum porro, per ſe diuerſarum, ſimilitudinem et nexum inde deriuat, quod diuerſimode quidem neruos ferientia, ſimili tamen modo eos moueant. In multitudine fibrarum neruearum quaerit tum praeſidium ſenſus, quo, licet et in ſenio, et in morbis haud pauca fila deſtructa ſint; ſenſus tamen non aboleatur: tum illud ſingulare commodum, quo, vbi attendimus, in eodem obiecto ſemper plura obſeruamus. Aſſociationem idearum, animo vel inuito ſaepe contingentem, a vario neruorum et cerebri filorum nexu; a neruis autem ipſis idearum exiſtentiam deriuat, argumenta ducens ex deſtructione idearum per morbos et vulnera, atque vi cogitandi aucta per vulnera, capitis alliſiones, et medicamenta. Eorum adeoque ſententiae ſubſcribit, qui mentem ſubſtantiam obſeruatricem, ideasque, quatenus ad mentem referuntur, obſeruationem earum rerum dicunt, quas nerui commoti menti offerunt.

Praeter conſpicuum neruorum ſyſtema, quod *organiſationem craſſiorem* appellat, teneriorem contextum nerueum, animo, cuius ſedes ſit proximum, et *ſubtiliorem organiſationem* dicendum, p. 76.

cum aliis ſtatuit, qui ſine craſſiore agens, animo rerum, olim perceptarum, formas reducat, actione ſua ad craſſiorem organiſationem diffuſa phantaſiam laeſam excitet, ceterum efficaci ſuo motu, ab animo proxime percepto, ideas ſic dictas materiales, aut, vt Noſter mauult vocari, *repraeſentationes materiales* ſiſtat. Pro vtriuſque vero organiſationis, ſubtilioris maxime, diuerſitate, differre putat animi vires easdem in diuerſis hominibus; et ad earum praeſtantiam multum facere, praeter alias cauſſas, ſitum cerebri et neruorum in capite bene formato ab omni vel fluïdi abundantis, vel ſolidi durioris preſſu liberum, mediamque inter fluiditatem et mollitiem, atque duram rigiditatem, conſiſtentiam.

p. 124. Iam, quum, quid ſenſus ſint, ratione corporis dictum ſit, quid iidem ſint ad animum relati, exponitur. Sunt autem ſenſationes externae ideae proxime per vim organiſationis craſſioris, ſubtiliorem, vtpote ſine qua animus nil percipit, commouentis productae. Quum vero nerui noſtri nunquam agant vltro; cauſſae commouentis quadruplicem fontem Auctor indicat. Agit nimirum in neruos craſſiores vel animus vi ſua motrice, vel ſine eius concurſu ſubtilior organiſatio; perceptionesque inde natas Auctor ſenſationes externas intrinſecus natas (*äußere Empfindungen von innen*) dicit; vel pars corporis noſtri quaecunque, quae neruus tamen non eſt; vel denique res prorſus extra nos poſita; quae duo ſic productarum perceptionum genera ſenſationes externae foris accedentes (*äußere Empfindungen von außen*) Auctori vocantur. A cauſſis ſenſationum obiecta differunt, quae ſunt id, cuius idea ſentiendo naſcitur. Saepe tamen et idea iſta, vel ſenſationis argumentum, obiectum

iectum dici ſolet. Quodlibet genus repraeſentationum externarum ſenſationum, quod ſuos nervos et organa externa habet, ſenſus externus audit. Eorum vero ſenſuum externorum per organorum ſtructuram et per diuerſum obiectorum agendi modum indolemque variam quinque ſunt. Iam ſenſationes vel purae ſunt, quatenus ſaltim eſt craſſioris organiſationis motus, vel mixtae, quatenus, praeter hunc, aliae, quae ab hac proxime non proueniunt, repraeſentationes, cum iisdem ſimul oriuntur. Et tales, mixtae nempe, ſolent omnes eſſe, quas iam habemus, quum ſcilicet ſemper iudicio animi aliquid accedat; purae autem ſenſationes in prima tantum infantia ſolum obtinent, vtpotè quum merae ſint obſeruationes, rerumque extra nos poſitarum primae imagines.

His expoſitis, ſenſus quinque externos Auctor noſter ita diſquirit, vt, quid ſinguli ſint, quibus organis perficiantur, quas ſenſationes proferant, quaenam obiecta et argumenta ſenſationis habeant, quaque in re vel diſcrepent, vel conueniant, exponat. Probat propterea, tam late patere ſenſum tactus, organisque omnibus aliis ineſſe, quoniam per eum demum vere experiamur, res perceptas extra nos eſſe poſitas, et quoniam ſine eo reliquis ſenſibus adiuncto, facile poſſimus in eam deuenire opinionem, ac ſi, quae ſentimus, merae tantum ſint noſtrum ipſorum modificationes. Nec dubitat de imaginibus in retina, inuerſa ratione depictis, ſperatque, fore, vt demonſtretur aliquando, non propterea obiecta cerni in ſitu recto, quod mens emendet et corrigat, quae falſa in ſenſatione ſint, ſed, quia in ſitu recto imagines quoque obiectorum retinae offerantur. Qua de re tamen, quum ſenſatio iſta nobis ſemper relatiua ad

p. 147.

p. 189.

proprium ſitum corporis noſtri videatur, multum dubitamus.

p. 196. Praeter ſenſus quinque iſtos externos, ſunt et aliae in nobis perceptiones ab his plane diuerſae, quas Auctor *äußere Gefühle* appellat, eaeque purae pariter, atque mixtae. Agit igitur de perceptionibus valetudinis bonae et aduerſae, doloris et titillationis, caloris et frigoris, conſueti et inſoliti, ſapidi et male ſapidi, ſuauiter et male olentis, nauſeae, laſſitudinis et refectionis, famis, ſitis, voluptatis, terroris, deque illis, quae ex inſtinctibus proficiſcuntur. Addit denique perceptiones extraordinarias, per morbos et idioſyncraſiam excitatas, vna cum fabula de puero, qui nuper in Francia dicebatur curſum aquarum ſubterranearum cernere poſſe, quam, vt commentum, tam argute ab Auctore explicatam dolemus.

p. 236. Subiunguntur his egregie diſputata de mutationibus ſenſationum externarum, quae oriuntur ex ſynchrona earum coniunctione, et per vim praecedentium, deque diſcrimine idearum, quod a perceptionibus et ſenſibus externis pendet. Po-
p. 288. ſtremo etiam vim animi motricem (*Thätigkeit*) rimatur et naturam cognitionis, quae ineſſe poſſit iis ſubſtantiis, quae ſola vi ſentiendi inſtructae ſunt. Ex quibus quidem diſquiſitionibus lubenter ſeligeremus potiora, niſi breuitatis cauſſa filum orationis hic eſſet abrumpendum.

X.

Diarium medico practicum ANDREAE BERNHARDI KIRCHVOGL medicinae doctoris ac practici Vindobonenſis. Vindobonae typ. Io. Th. nob. de Trattnern. 1771. 8. p. 213. praeter praefationem et rerum propoſitarum ſummam.

Animus eſt Cl. Auctori quolibet anno morborum magis familiarium, SYDENHAMO duce, colligere exempla, et, epidemicis morbis non graſſantibus, endemicos perſequi. Praeterea Noſter aliorum collegarum caſus notabiles in hoc ſuo opere continuato commemorabit. Obſeruat porro Noſter annum ſcholaſticum, nouembri nimirum incipiendum, nec non aeris viciſſitudines varias aliasque mutationes e. gr. circa anni tempora, inſimul attendit. Atque ita in hoc tomo agitur de febribus intermittentibus epidemicis, 1770, 1771 annis, de tuſſi epidemica cum pleuritide et peripneumonia, de febri ſcarlatina, de febribus acutis, de variolis inoculatis et naturalibus et in fine de electricitate.

Arbitratur Noſter, naturam iam per aliquot tempus inteſtina geſſiſſe bella, idque ipſum probari poſſe ex frequentibus auris borealibus, terrae motibus, aque eiectionibus et tranſundationibus cometisque, quorum duo aſpexit, etc. Vnde et pendere ait Noſter per aliquot annos obſeruatam quatuor anni temporum inconſtantiam. His praemiſſis, de febrium epidemicarum intermittentium genio, quae ſaepe calidae potius, quam frigidae intermittentes eſſe viſae ſint, valdeque mixtae apparuerint, diſſerit. Incipiebant hae febres, atque alio modo quidem; omnes tamen ſine praegreſſa p. 1.

greſſa horripilatione. Iure igitur has febres intermittentes Noſter irregulares appellat, et a regularibus, quas quoque obſeruauit, diſtinguit.

p. 19. De cortice Peruv. aegris, obſtructione viſcerum laborantibus, exhibendo haec habeto. Optat Noſter, bene vt diſtinguatur, vtrum illa ex ſaburra aliqua, aut febris materia, in quodam viſcere collecta, aut praematuro nimis dato cortice, an potius ex nimia debilitate vaſorum oriatur. Atque in eiusmodi debilitate ſuadet Noſter corticem, qui ſpecifica ſua virtute primo febri obicem ponit, et roborante vi vaſa tam apta reddit, vt materia obſtruens expelli queat. Probat hoc aegro, feliciter curato, qui reſoluentibus et purgantibus remediis ita erat debilitatus, vt vaſa expulſionem materiae morboſae nequirent praeſtare. Ceterum optime dedit corticem, interpoſitis laxantibus ſeu ſalibus digeſtiuis, interdum etiam his mixtum.

p. 33. Febres acutae promiſcue cum intermittentibus anni 1770 apparebant: rariores per hyemem obſeruabantur, quando tuſſes, catarrhi, pleuritides, peripneunoniae et ſcarlatinae occurrebant. Has acutas Noſter diſtinxit in quatuor ſpecies: nimirum in acutiſſimas, acutas cum conſuetis ſymptomatibus, haemitritaeas, quas Noſter reuocat, tam ex continua quotidiana et tertiana intermittente, quam ex acuta continua et tertiana; et denique in febres, ephemeras et ſynochos putres dictas. Inde igitur Noſter ſymptomatum diuerſitatem in febribus acutis deriuat et aliam atque aliam his medendi rationem vrget. Exanthemata critica e. gr. petechias, miliares cet. Noſter largitur, atque exemplis confirmat.

Refert

Refert quoque Cl. Auctor exemplum morbi acuti putridi letalis, vbi inteſtina plane non fuerunt inflammata; ſed parte, qua per noctem in aqua poſita, ſupra eius ſuperficiem prominente, aere fuiſſe corrupta affirmat, quod facile quoque ex hiſtoria morbi, ab eo tradita, elucere videtur. Cauti ergo vt ſint, omnes illos admonitos vult, qui ex anatome iudicare atque docere cupiant. Praeſtat enim, vt omnes vno die bene inſpiciantur partes, nec aliquae reſeruentur, quae facile corrumpi adeoque examinantem fallere poſſint. Qua occaſione de ſitu partium in cadauere prouide prudenterque conſiderando monet, exemploque addit, facile fieri poſſe, vt cadauer, poſt viginto quatuor horas apertum, morbo putrido denatum, ſubito in corruptionem vergat, aer in inteſtinis rarefiat, extenſa ſic viſcera reliqua ſurſum deorſumque nec non ad latera premantur, et ſitum dein talem praeferant, qualis nunquam, viuo corpore, adfuerit. Iuuat praeterea hanc rem cadaueris ſitus ſupinus et decliuis a ſitu viui hominis plane diuerſus. Quae cum ita ſint, caute ad haec omnia in ſitu viſcerum, ex ſectionibus definiendo et deſcribendo et ad morbi naturam applicando, attendere oportet ſecantem, ac omnino Noſter miratur magnopere, quomodo adeo facile rebus tam iniquis, poſteritati relictis, credatur.

Mulierem pleuroperi pneumonia periiſſe cum hiſtoria morbi, tum anatome docebant. Meretur hoc in morbo notari, quod nunquam pulſum mollem vſque ad finem deprehenderit Noſter, excepto paroxysmi tempore, quo vix percipi poterat pulſus. *Vnde ergo ille paroxysmus? pulchram a phyſiologis quaeſiti reſolutionem peto: an ſubitanea facta implete vaſorum pulmonalium ſtagnatio totius, quae,* p. 88.

ſi

ſi a natura victa non fuiſſet, in primo certo perire debuiſſet paroxysmo? profecto, reſolutione vaſorum facta, (vt et in aſthmaticis contigit) et vrgente a tergo ſanguine, obſtaculisque remotis, fortis de nouo insurgebat pulſus, donec demum tertio recurrens impotensque fors, ob tenacitatem nimiam, remouendi obitem ſuffocauerit patientem? An pulmones, poſt mortem ſanguine turgidi ac inflammati, convincens pro hac ſententia argumentum?

p. 104. Commemorat Noſter hic iterum *) exemplum, ex quo appareat, ſitum viſcerum poſt mortem mutari poſſe. Erat colon tympaniticum totum, mire flexum et hepar verſus thoracem premens. Haec nimia coli expanſio videtur Noſtro poſt mortem eſſe facta. Periit enim aeger pleuropneumonia neglecta. Non multum poſt mortem eius thermometrum Noſter applicuit, quod per ſex prima minuta, 101 gradum; poſt quadrantem denuo per ſex minuta applicatum, 98. et poſt mediam horam, 96 gradus caloris notauit, interea que monſtrat, hunc calorem ex motu productum, nec ſolum corporibus innatum eſſe.

p. 133. Femina viginti trium annorum morbo valde acuto plurimis malis ſymptomatibus ſtipato, vt ſunt vomitus, narium ſtillicidium, gemitus, oculi lacrymantes, tenesmus, iſchuria, diarrhoea, deſipientia, ardores pectoris, mittimus alia, ſanitati prorſus eſt reſtituta. Vltimum exemplum miliaria critica ſpectat, quorum triginta et vnum collegit Noſter et ſecundum quatuor ſpecies acutorum morborum **), ab eo conſtitutas, adiunctis quibusdam catarrhalibus et inflammatoriis aegritudinibus,

*) vid. ſupra p. 509.
**) vid. ſupra. p. 508.

bus, enarrauit et in fine corollaria nonnulla addi-
dit; ex quibus modo quaedam notemus. Febres
catarrhales admodum Noſtro familiares apud aegros
suos, plerumque miliaribus ſeſe manifeſtantes;
aliquae ab initio ferunt venaeſectionem; exanthe-
mata non ſunt negligenda, nec refrigerio turban-
da; rurſus, venaeſectio, iis praeſentibus, non in-
stituenda. In haemitritaeis praecipuum antido-
tum cernitur in cortice Peruuiano.

Variolas morbum eſſe, quo nec milleſimus ho- p. 145.
minum ſit immunis, et, ceteris paribus, ſeptima
affectorum pars interire ſoleat, omnium conſenſu
arbitratur. Praeterea lectuli calorem et cardiaco-
rum vſum in variolis medendis reiicit, et regimen
frigidiuſculum et inprimis aeris liberioris vſum com-
mendat.

Electricum fluidum numeratur inter cardiaca p. 163.
neruea. Id quod Noſter hic ſedulo perſequitur,
omnesque effectus electricitatis tam ſimplicis,
quam compoſitae, cum corpore humano commu-
nicatae, curioſius expendit. Tum monet, ſe ſim-
plici electricitate nunquam vſum eſſe in ſuis ae-
gris, qui hic adduntur; ſed ſemper fortiſſimos,
quos potuit, ſine reſinoſo tamen ſcabello, ictus in-
fixiſſe iisdem vel ſolis, vel in corona cum plu-
ribus catena iunctis. Incepit Noſter quinque
ictibus et aſcendit vsque ad centeſimum et vltra:
bis de die repetebat ictus, ſymptomatibus id lar-
gientibus. Neminem vero aegrorum ſua machina
commouit Noſter, qui non vel externis vtebatur
medicamentis

His praemiſſis, caſus a Noſtro enarrantur, qui p. 178.
ſatis ſuperque inutilitatem electricitatis demon-
ſtrant,

ſtrant, ideoque cum Cl. MVSSCHENBROECKIO ſincere fatetur, ſe hucusque nullum euentum felicem ab electricitate ortum vidiſſe. Id quod etiam corollaria, ex omnibus hic additis exemplis de cura electricitatis deprompta a Noſtro, manifeſte indicant. En quaedam corollaria: electricitatis fulmen audax ſemper et anceps eſt remedium, multos ad ſuperos ablegat, quos iuſta medendi methodus conſeruaſſet: ſaepe triobulario medicamento pauperibus tutius et iucundius mederis, quam centenis ſuocuſſuum electicorum myriadibus: arnicae infuſum paralyſin citius et tutius iuuat, quam annua electricitas: eadem non, niſi in caſibus et ratiociniis et experientia comprobatis, tumque ſuis cum cautelis adhibenda. Strictum corpus minus, ac laxum, plethoricum minus, ac phlegmaticum fert electricitatem. Melancholicum et atrabilarium periculo non carent. Infantibus debilibus et ſenibus electricitas non ſeruit: viris potius, quam feminis apta eſt. In inflammationibus, morbis nervorum, pectoris, cachexia, ſcorbuto, morbis capitis, odontalgia cet. nil boni hucusque ſuadet electricitas. Porro nec ieiuno, nec pleno ventriculo conuenit, ſed prima coctione finita. Omnino iudicat, electricitatem non prius eſſe adhibendam, quam aliis atque aliis iisque pluribus fruſtra antea tentatis remediis. Atque tum ſimplex modo tentetur ſcintillarum electricarum euocatio primum: dein, fruſtra his adhibitis, ad commotionem tranſiendum eſt; ſed vltra decem aut viginti ictus mediocres nunquam pergendum exiſtimat, potius bis terue de die repetendum.

XI.

XI.

Inträdes-Tal om Kräftſkadors, ſcrophulöſe och veneriſke Sårs och ſoullnaders igenkännande hållit för Kongl. Collegium medicum den 18. October 1771, af PEHR BIERCHÉN M. D. Aſſeſſor i Kongl. Coll. med. På Kongl. Collegii befallning. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius. 1772. 8.

i. e.

Sermo inauguralis de diſcrimine inter vlcera cancroſa, ſcrophuloſa et venerea, et tumores horum generum, in conſeſſu collegii medicorum habitus a PETRO BIERCHEN, M. D. quum munus Aſſeſſoris ibidem adiret.

Non facile praeſtantius argumentum ſub exordium noui muneris eligere Cl. Auctor potuit, quum in carcinomatum cognitione et medela haud vulgari peritia calleat. Eſtque is in Suecia medicus, qui ſuperiorum expenſis ſuffultus puluerem Cl. GVY in Anglia redemit, et, vt Ipſe fatetur, eodem multis tam ditioribus, quam pauperioribus in cancris adiumento fuit.

Queritur de confuſione cancri cum tumoribus vlceribusque aliis, quod quotidie fere fit; quorſum pertinet exoſtoſis adeo, caries, vlcus, noma dictum; vnde minus mirum, errorem committi in diſtinctione ſaepe difficili tumorum a lacte coagulato, vlcerum venereorum et ſcrophuloſorum, variarumque aliarum indurationum.

Vitiorum in mammis cancroſorum tria genera diuerſa Cl. Auctor conſtituit, ſcilicet *cancrum genuinum*, *cancrum fungoſum*, et *carcinoma ſcrophuloſum*. p. 6.

ſum. Horum omnium characteres ex propriis obſeruationibus, hiſtoriis mali ipſius crebro interſperſis, delineat.

P. 7. *Cancer genuinus* initio, ſcirrhi inſtar apparet; magnitudine et figura piſi, vel funis exigui. Initio omnino glaber eſt; prout autem increſcit, ſuperficies exaſperatur. Senſim aliquando figuram conicam aſſumit; plerumque autem rotundus eſt, nec ex pluribus grumis, vt cancri ſcrophuloſi, ſed vnico tantum conſiſtit, et inde a piſi magnitudine ita increſcere poteſt, vt ad finem totam mammam repleat. Duritie interna inſtar cartilaginis eſt, vel digitis contrectatus arenam collectam refert. Dum aperturam agit, cutis rubeſcere incipit, et per fiſſuram ſtillat parca copia aquae, vel ſeri. Noxia valde in hoc genere mercurialia ſunt, augendo incrementum, et ruptionem accelerando, quod idem, licet minori gradu, de aquis mineralibus et martialibus valet. Raro eiusmodi tumor, etiamſi minimae magnitudinis, dum iam ingratus ſenſus in eo ortus fuerit, ſeſe reſolui ſinit, niſi id fiat ſuctione; ſed ſenſim magis increſcit, et manifeſte omnibus emollientibus et reſoluentibus, quin ipſa cicuta, ſiue conio, peior fit. Huius ſtirpis efficaciam Cl. Auctor valde reſtringit, et frequenti experientia capta teſtatur, aliquid in ſcirrhis ſcrophuloſis quidem, et adhuc magis in veris ſcrophulis, vel inueteratis vitiis venereis, vti et in tumoribus a coagulato adipe praeſtare; ſed in omni cancro genuino inſignem noxam afferre. Dolores quidem ſopire eandem poſſe per primas hebdomades non negat; ſed paullo poſt accelerare malum conſpicuum in modum, et quidem pro doſeos proportione, et iuncto externo vſu. Auxit doſin Auctor interdum ad vnciam integram per diem, idque pluribus menſibus ſine alio effectu, quam ebrietatis ſenſu

ſu et diureſi fortiori. In cancro oris ptyaliſmum, quaſi a mercurio, excitauit.

Difficiliores longe iſtos ſcirrhos pronuntiat, qui p. 11.
initio funium exiguorum (*Bindfaden*) fruſtula referunt, et citius dolores excitare. Periculoſiſſimi autem ſunt, qui oriuntur in ſuperiori pectoris parte prope muſculum pectoralem, et punctiones verſus cauum pectoris, vel ſternum, vel axillam excitant, etiamſi mobilis tumor eſſet. Aegri, huic generi carcinomatum obnoxii, ſaepe faciem, rubro exanthemate diſtinctam, habent.

In feminis creberrima cauſa carcinomatis ſunt p. 12.
commotiones animi fortiores, quibus ſerum in vaſis minimis ſtagnat (nam ſerum, ob vim ſuam coagulabilem, praecipue Cl. Auctor accuſat), dein acrimoniam quandam ſingularem contrahit, qua alia liquida inficit. Non inficiatur tamen, aliquando a vitio interno, primum incidente, tanquam ex ſemine aliquo enaſci poſſe. Plerosque autem ſcirrhos locales tantum eſſe, et ferro, vel puluere Guyano, exſtirpari poſſe affirmat.

Alterum carcinomatis genus, *cancer fungoſus*, ſub p. 17.
primo ſtatu, a ſcirrhoſo aegrius diſtinguitur; ſed ſua natura tamen inſigniter differt. Eſt hic ſcilicet magis elaſticus et ſpongioſus altero, et diuerſo plane modo rumpitur. Incrementum longe celerius habet, multis mollioribus et liuidis aſperitatibus iunctus. Vi rumpitur et ſaepe pluribus locis ſimul cum copioſo aquae cruentae profluuio. Ex apertura propullulat caro, vuas vel lobos referens fungoſos, coloris hepatici. Et longe inſigniorem hic cancer magnitudinem nanciſcitur. Fungus tamen hic durus et quaſi cartilagineus eſt. Senſim in ſuppurationem perfectam tranſit, et pus, ſaepe cum liquido cruento commiſtum, eructat. Raro hic glan-

dulam magnam ſubaxillarem in connubium ſuum trahit; nihilominus tamen vitium hoc ſaepe omne
p. 21. auxilium ſpernit. Praeter mammas interdum quoque dorſum, ſcapulas, brachia, femora et crura occupat; et recenſet Auctor hiſtoriam fungi cuiusdam to-
p. 22. tum fere dorſum occupantis. Memorabile exemplum diſpoſitionis in femina ad depoſitiones lacteas vitioſa, et ſcirrhi mammae ex terrore enati Cl. Auctor recenſet, quam vero Auctor canicula, mammae
p. 26. vtrique admota, ſuperauit. Multum ſimilitudinis haec ſuctio cum ſuctione bufonum habet, quorum applicatio haud ita pridem iterum inclaruit. In binis feminis ipſos Noſter admouit, in quarum vna mammae adhaerere bufones reſpuerunt; in altera autem ſuxerunt quidem, ſed dolore et ſanguinis profluuio nimio iuncto.

p. 27. *Carcinoma ſcrophuloſum* ab interna cauſa et peculiari miaſmate, a venereo non multum diſſimili, deriuandum Auctori videtur; aetate vero et curationis conatibus debilitatum et varie mutatum. Diſtinguit Auctor ſollicite illud ab aliis ſcrophuloſis tumoribus. Iſtae ſcrophulae, de quibus hic ſermo eſt, plerumque indolentes ſunt, diuque absque vllo incommodo perdurant. Duriſſimi in inguinibus obuii. Saepe ſuperatis omnibus reliquis, ſuperſtites ſunt, nec mercurii ope facile ſoluuntur. Carcinomata ſcrophuloſa mammarum difficillima curatu Cl. Auctor pronunciat, et poſt exſtirpationem ple-
p. 34. rumque repullulant. Initio difficilius diſtinguuntur, interdum, inſtar ſcirrhi ſolitarii, originem capiunt, licet plerumque glandulas minores tumidas in vicinia cum habitu corporis malo habeant. Duritie cedunt quodammodo ſcirrho exquiſito, vel cancroſo, nec multum vel plane non dolent, vsque dum rumpantur, vel ſummum incrementum attigerint, quin nec tum quidem. Poſtea autem longe differt a reliquis

gene-

generibus. Mamma enim ad finem liuida fit, plerumque complanata et dura, inſtar tabulae ligneae, vel conſtringitur prope coſtas cum ſulco profundo. Poſtquam ad vigorem ſummum peruenerit hoc vitium, colorem eryſipelatoſum contrahit, cum notabili calore in habitu loci affecti. Quaedam ſcrophulae pus maturum fundunt, aliae autem in eodem aegro tenue, foetidum interdum, nigreſcens, liquidum; multi nodi ſeſe aperiunt, ſuppurant, et conſolidantur, et haec vlcera multis locis alba et lardoſa apparent; aliis autem rubra et fungoſa, et conſolidationem reſpuunt, vel ſeruant continuo cruſtas ſuas duras ſiccasque. p. 36.

Scirrhos eiusmodi exiguos pluries ope vnguenti mercurialis et cataplaſmatibus calidis diſſipauit. Et Cl. GVY hoc vnguentum et ſtercoris vaccini coctiapplicatio interdum ſucceſſerunt. Quin nonnunquam ſolus internus mercurialium vſus ſuffecit. p. 37.

Nunquam Noſter ex coagulato poſt puerperium lacte veros ſcirrhos enatos vidit. Quin e contrario aliquando veros ſcirrhos, coagulo inſigni lactis, febre lactea et lactatione diſſipatos vidit. Et indurationes pertinaces ex coagulato lacte ſaepe, praeeunte Cl. ACREL, ſolis pultibus et cataplaſmatibus reſolutos obſeruauit. Crebrius tamen in ſuppurationes lentas, fiſtuloſas tranſierunt, quo in caſu cataplaſmata ſaturnina, diu continuata, maximum adiumentum attulere. p. 52.

Inter conſilia, ad praecauendum cancrum idonea, etiam lactationem liberorum refert, licet amore veri ductus exemplum quoque recenſeat, in quo nec hoc conſilium efficax fuerit. p. 53.

Poſt exſtirpationem, ferro factam, interdum ideo videtur malum deteriori adhuc ſcena repullulare, quod virus, antea retentum intra vaſa indurata, iam liberum redditur; et reſorberi ſeſe patitur a p. 55.

vicinis glandulis, quin totum ſanguinem inficiat. Ob eandem cauſam hoc auxilium non diu differri debet. Contagioſae naturae exemplum Cl. Auctori ſeſe repraeſentauit, a diuerſitate ſtructurae mammarum vtriusque ſexus deriuandum, quod rariſſime viri cancro mammarum afficiantur; cuius rei tamen hiſtoria hic exſtat: prout contra ea feminae raro vel nunquam cancro faciei et labiorum corripiuntur.

p. 58. Ab hiſce Cl. Auctor ad *venereorum* vlcerum et tumorum conſiderationem progreditur. Quae mammas afficiunt, ſub triplici forma occurrunt, vel inſtar vlcerum cutaneorum purulentorum, vel inſtar ſphacelantium, vel duritie ſeſe produnt, inde a coſtarum membrana initium capiente. Primum genus lardoſa natura facile dignoſcitur, ſed vlcera fiſtuloſa nonnunquam format, quae ichorem tenuem ſubinde fundunt: fluxum ſalſum (*Salzfluß*) vernacula lingua vocant; poſteriora duo autem facile cum cancro confunduntur. Prioris generis plures curationes felices enumerat Auctor Cl. ſolutione mercurii ſublimati granis quatuor in ſpiritus vi-
p. 62. ni vncia vna factas. Venereorum vlcerum tertii generis mammam infeſtantis Auctori vnicum modo exemplum obuiam venit, et quidem in viro quadragenario, in quo ſolutio mercurialis, tam interne, quam externe vſurpata, dein vnguentum coeruleum Londinenſe proficuum fuit.

Meminit quoque Auctor ob argumenti cognationem dolorum, mammas ſine duritie vel ſcirrho aliquo manifeſto infeſtantium; nec omnino hoc malum a venerea labe liberum arbitratur. Vſus in caſu quodam obſtinato feliciter tinctura Guaiaci volatili Londinenſi; qua tamen potentius fuit vn-

guen-

guentum mercuriale: et dein iuncta antimonialia cum mercurialibus dolorem omnino ſopierunt.

Carcinomata linguae rarius ab Auctore viſa ſunt, et in hiſce a venereis diſtinguendis eadem Cl. viri ſagacitas eminet. — Quod idem, quum de vlceribus horum generum labiorum et faciei et cancro internarum narium mentio fit, valet. p. 66. p. 73.

Clariſſimos AKENSIDE et STÖRCK redarguit de erroribus, in diagnoſi carcinomatum commiſſis. p. 77.

Ad finem vlcus *Noma* dictum (*Waſſerkrebs*) curatius deſcribitur. Eſt vlcus ſphaceloſum, quod exiguo ex rubro luteo tuberculo cum duritie oritur. Hoc ipſum mox nigreſcit, et pars ipſa ſubito ſenſu coloreque naturali orbatur: liueſcit, et pars nigra breui dilatatur margine ex rubro luteo. Per noctem vel intra nycthemerum aliquando tota pars excidit, et corruptio cum foetore et inſenſilitate totius faciei continuat, vsque dum facies cum labiis, naſo et genis per paucos dies computruerit et per fruſta exciderit. Ipſa oſſa putreſcunt, nigreſcunt et corrumpuntur, ipſi dentes alueolique eorum excidunt, nec tamen infantes deſtituuntur appetitu cibi vehementiori, vsque ad vltimum vitae halitum. Pulſus per totum morbum maxime celer et debilis eſt. Antiſepticis et inter haecce ſpiritui mercuriali ſaturato maximam efficaciam Cl. Auctor tribuit. p. 85.

XII.

Acta Heluetica phyſico mathematico anatomico botanico medica, figuris aeneis illuſtrata, et in vſus publicos exarata. Volumen VII. Baſileae, typis et ſumptibus Ioh. Rodolphi Imhof et filii 1772. 4. pagg. 338. tab. aen. 12.

Non eſt, quod de dignitate huius Voluminis plura praeloquamur, cum et thematum gravitas, et Cl. Sodalium in conſcribendis tractatibus diligentia ex ipſa, quam iam trademus, ſumma intelligantur.

p. 1. 1. *Commentatio, in qua, inquiſitis cauſſis occaſionalibus inſalubritatis aereae in vrbe Lauſanna, oſtenditur noxas morbosque praecauendi ratio*, Gallico ſermone ſcripta a Cl. IACOBO D'APPLES. D. M. Inuenit Cl. Auctor cauſſam praecipuam in immunditie vicorum, et aquae ductuum, eamque ſpecialius recenſet, ſimulque multum ad morbos conferre oſtendit aquam limoſam tophaceamque, ſic etiam frumenti impuritatem, atque prauam viuendi rationem. Has cauſſas igitur omnes euitandas et magiſtratui, et ſingulis hominibus, et medicis offert.

p. 9. 2. *Diarium inſitionis variolarum, factae d. 25. april.* 1768. Auctore EODEM. Narrantur phaenomena inſitionis in puero, quatuor annorum, ſano, a nutrice ſana nutrito; qui tamen et corpore, et mente, quendam offerebat lentorem. Poſtquam ei pus variolarum, filis ante 6 menſes communicatum, inſertum eſt, leuioribus ſymptomatis nono demum

demum die aliqua eruptionis ſigna apparuerunt, puerque diu multumque dormiebat, febri vix vehemente, ita, vt duodecimo tandem die variolae inciperent ſuppurare, accederentque decimo quarto ſuccedaneae variolae, quae cum prioribus ſenſim et ſuppurarunt, et exſiccatae ſunt. Sicque puer ab omni morbo intra viginti duo dies eſt liberatus. Secundam variolarum eruptionem tribui poſſe iudicat Cl. Auctor, et diſpoſitioni lentae huius pueri, et miaſmatis varioloſi inſerti imbecillitati, et minori fomitis varioloſi in hoc puero quantitati. Putatque haec incommoda euitari potuiſſe, ſi inſitio ad methodum Gattianam inſtituta fuiſſet.

3. *Commentatio altera de quibusdam exanthematicis morbis* Gallice ſcripta Auctore Cl. RAZOVX *). p. 16. Prima obſeruatione morbus ad purpuram, ex Cl. Auctoris mente accedens, narratur. Vir ſexaginta annorum, firmus ſanusque, cum caſu pedis ſiniſtri malleolus internus vehementer contunderetur; ecchymoſis vero a chirurgo ſpiritu vini martiato tractaretur, et, accedente leni inflammatione, pinguia adhiberentur: afficiebatur non ſolum in pede affecto maculis rubris, pulicum ictui ſimilibus, quae, inſtar variolarum, eleuabantur; verum etiam eaedem conſpiciebantur in vtroque brachio, incipientes ſpatio trium pollicum ſupra radii apophyſin, extenſaeque per omnem manum: reliquum corpus liberum ab iis erat. Quarto die, cum Noſter accederet, haec exanthemata ſcabiei ſimilia inuenit, inſuperque omnem faciem tumidam, ac ſi eryſipelate afficeretur. Vrina rufa, ſanguinea, cum dolore excernebatur. Ceterum aegro omnis

*) Commentatio prior vid. in Act. Helv. Vol. I. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 108.

in pede, poſt hanc eruptionem, dolor euanuit; atque Noſter eum, venaeſectione bis inſtituta, temperanteque aqua nitroſa, per quinque dies exhibita, additisque leniter euacuantibus, ſanitati reſtituit. His ſubiungit alia quaedam exanthematum exempla, quorum prius, a Cl. ROBERTO obſeruatum, ortum ex bili mota, cum cardialgia coniunctum; hac, quibusdam diebus elapſis, ceſſante, ſponte etiam euanuit; poſterius a Cl. CVSSON narratum, terrore excitatum, itidem ſine remediis diſparuit.

p. 25. 4. *Deſcriptio ſtellae marinae, petrificatae, reperiundae in Muſeo fratrum* Cl. GAGNEBIN, Gallico idiomate data ab ABRAHAMO GAGNEBIN, natu mai. Intelligimus ex deſcriptione Cl. Auctoris, eſſe hoc petrificatum nouam Helmintholithi ſpeciem, cum *Stellam marinam ſcolopendroidem* RVMPHII atque LINNAEI *Aſteriam rubentem* cum verme deſcripto conuenire multum dicat. Eſt igitur vermis hic praeditus radiis quinque fere cylindricis, diuerſae longitudinis, corpore rotundo, ore centrali: atque lapidi affixus, cuius pondus ſeſquiunciam cum verme petrificato aequat. Reliqua, icone addita, optime declarantur.

p. 30. 5. EIVSDEM *deſcriptio quorundam petrificatorum.* Primum nominatur cunnolites, propter figurae, quae addita hic cernitur, ſimilitudinem cum parte genitali muliebri quorundam animalium, coniicitque Auctor, eſſe illud ex *Madrepora* mutatum, cum aquae fortis ſolutione cellulae detegantur. Figura nobis cum LINNAEI deſcriptione *Helmintholitho Hyſterolitho* conuenire videtur. Fragmentum alterum eſt cornu caprae petrificati. *Soleniten* tertia figura oſtendit, petrificatum ex *Solene vagina* LINN. atque his ſubiungitur a Cl. Auctore Synonymia

Hel-

Helmintholithi tubipori LINN. eiusque vſus medicus, qui ſit adſtringens, additur.

6. *Hiſtoria ſingularis, morbi hyſterico conuulſiui grauiſſimi, cum deglutitione diu intercepta*, Auctore IR. THADDAEO BERGERO. Mulier, 29 annorum, macilenta, tenerrimi habitus, cacochymica, morbo hyſterico ita vexabatur, vt de eius ſalute fere eſſet confectum. A prima iam grauiditate multis ſpaſmis affecta, periculoſiſſimum edidit partum; iterum grauida meliore quidem fruebatur valetudine; poſtea tamen, ſpaſmis ſubinde reuertentibus, catameniis ceſſantibus, molas binas enixa eſt. Tum, iterum iterumque ſpasmodicis regreſſis affectibus, thermarum Kirnhaltanarum balneo vſa per duo menſes reſtituta eſt. Poſtea autem febri catarrhali, cum graui pectoris oppreſſione corripiebatur, vomituque bilioſo, algore maximo, ſubſequente aeſtu et pleuritide ſpuria noctem tranſigens, venaeſectione quidem a pleuritide liberabatur; attamen morbo ipſo remanente, omnique fere deglutitione impedita, prorſus, omnibus remediis fruſtra adhibitis, exſiccabatur. Hoc in ſtatu Noſter aduocatus de aegra omnino deſperare noluit, ſed protinus balneum ex furfure triticeo, floribus chamomillae et ſapone Veneto, cum aqua et lacte parandum, in quo tepido aegra per horam ſederet, imperabat; poſtea ſpiritu ſequenti eam lauari iuſſit. Rec. Spir. Serpill. vnc. dim. vini camph. vnc. 1. Spir. Sal. ammon. vinoſ. drachm. 1. Balſ. vit. Hoffm. vnc. dim. M. Atque emplaſtrum ſaponatum Barbette a collo vsque ad oſſa pubis ei impoſuit. Atque his factis, poſtero ſtatim die aegra fluida, lente quidem, bibere poterat. Dedit igitur ei per integrum menſem, guttas 60 ſequentis ſpiritus, quem aliis omnibus antiſpaſmodicis praeſtare affirmat. R. Spir. aperitiv. PE-

p. 36.

NOTE.

NOTI vnc. dim. Spirit. carminat. de tribus. vnc. I. Poſtea aquam Selteranam cum lactis aequali parte bibendam dedit. Atque ſic aegra conualuit.

p. 43. 7. LAVR. THEOD. GRONOVII *animalium rariorum faſciculus.* Piſcium duo noua genera *Pteraclis* et *Callorynchus*, *Blenniique* noua ſpecies hic a Cl. Auctore deſcribuntur, atque iconibus illuſtrantur. *Pteraclidis* nomen huic generi tribuitur, quod pinnae ampliſſimae dorſi atque ani intra binos ſquamarum ordines, valuarum ad inſtar, occludi poſſunt. Character eius eſt: *Caput* cathetoplateum, obtuſum, omnino ſquamis obductum, muticum. *Oculi* vtrinque in mediis lateribus. *Os* in antico capite. *Aperturae* branchiarum patentiſſimae. *Opercula* rotundata ſquamoſa. *Corpus* oblongum, lanceolatum, ad pinnas pectorales capite altius. *Squamarum ſeries ſingularis* radices pinnae dorſi et ani obtegit, modo peculiari. *Lineae laterales* tot, quot ſquamarum ſeries. *Anus* ſub branchiis. *Membrana branchioſtega* expanſilis, oſſiculorum arcuatorum ſex. *Pinnae* in toto piſce quinque inermes. In *dorſo* vna pone oculos, in ipſa fronte orta, per totum dorſum decurrens. *Ventrales* nullae. *Dorſales* et *anales* ampliſſimae. Speciem igitur icone delineatam nominat *pinnatam*, eamque vberius deſcribit, atque in Oceano Indico
p. 47. habitare refert. *Blennius toruus*, *fronte e pinna dorſali radiis anticis maximis criſtata; pinnis ventralibus ſex radiatis*, tabula tertia depictus ſiſtitur. Recedit a Blenniis reliquis radiorum numero in pinnis ventralibus. Propter hanc tamen notam Cl. Auctor nouum noluit genus conſtituere. Habitat
p. 49. in mari Indico. *Callorynchus Americanus*, *pinna dorſali ſecunda lineari*, *fronte compreſſa retuſa, roſtro nullo*, qui a WILLVGBEO, in ichthyol. tab.

B. 9.

9. f. 6. depingitur, hic denique describitur curate, atque in linea laterali pinnisque cartilagineis convenire dicitur cum *Chimera* LINN. in Musco Adolphi Friderici descripta: differre tamen, cum illi sit subascendens et acuminatum rostrum.

8. *Observatio de fractura cum iactura tibiae curatu feliciter*, a LVDOVICO CRETTE. Cum feminae crus frangeretur, omniaque ad repositionem tentata, machinaque a Cl. *Nusbaumer*, chirurgo, inuenta, frustra adhiberetur, atque gangraenae conspicerentur initia: omnia tandem naturae viribus committebantur, tumque frustum tibiae duorum pollicum detrudebatur; atque in eius locum renata est noua ossis portio ita, vt, idonea adhibita cura, femina prorsus curaretur, neque aliquam pateretur pedis accurtationem. *) p. 52.

9. *Observatio de fetu monstroso, cuius viscera abdominalia vna cum corde extra corpus propendebant*, communicata ab EDWARDO SANDIFORT. Fetus hic immaturus natus, spina sinistrorsum incuruata, ac tota pelui cum extremitatibus inferioribus sinistrorsum inflexa, insuper tumorem, totum epigastrium occupantem, membrana inuolutum, offerebat. Membrana hac aperta, peritonaeum plurimaque viscera abdominis, ipsumque cor propendens conspiciebantur, non multum mutato situ. Cum hoc exemplo aliud, huic simile, in diario Belgico descriptum, coniungit, figurisque tribus hoc monstrum delineatum sistitur. p. 56.

10. *Experimenta therapeutica circa vires medicamentorum in corpore humano*, GERONTIS PHILIAS p. 62.

*) cf. Philos. transact. Vol. 56. artic. 33, et Mém. de chirurgie Vol. VI. pag. 175. 1733.

LIATRI. Praemiſſis quibusdam generalibus de viribus medicamentorum ac methodo, ea exhibendi, eorumque vſum definiendi, regulis egregiis, ſpecimen proponit de ſcilla, quod duodecim exemplis illuſtratam magnam huius medicamenti vim in hydrope, aſthmate hydropico, hydrope pectoris oſtendat. Atque generatim Noſter id vrget, vt in narrandis exemplis ſedulo ad omnia attendatur, eaque fide enarrentur. Aegrorum hic allatorum quidam quidem per tempus morbi lenimen ſenſerunt; nullus tamen plane eſt ab hydrope liberatus.

p. 90. II. *Caſus ſingularis morbi ſpaſmodico hyſterici*, IOH. LVDOVICI BVXTORFII, M. D. Fac. Aſſ. Eſt hoc morbi exemplum plane ſingulare, cum et puellam natu iuniorem vndecim annorum occupaverit, et per diuturnum ſatis tempus ſymptomatis multis variisque eam vexauerit, ex quibus faucium tanta conſtrictio notanda videtur, vt ſonitus clamorque, inuita aegra, ederentur, quos non, niſi compreſſione manus, cohibere poterat. Adhibita optima quaecunque remedia, et antiſpaſmodica, et ſub finem cortex Peruuianus, non aliam afferebant morbi curationem, quam temporariam. Atque ita aegra ſubinde miſere vixit, dum decimo quarto anno catameniorum eruptio morbum tolleret: adhibitaque ſalubri diaeta, poſtea per tres annos vtcunque vixit ſana, donec initio anni 1770 febri petechiali moriretur.

p. 101. 12. *Obſeruationes poſthumae* IOHANNIS BVXTORFII, Poliatri, editae ab eius filio et ſucceſſore IOH. LVD. BVXTORFIO. I. *Vir monſtroſus*, qui, annum agens vigeſimum tertium, a Cl. Auctore examinatus, afferebat ex abdomine pendentem partem alius hominis, quae ex natibus, et extremitati-

mitatibus inferioribus conſtaret. Ani orificium non aderat, penis vero naturali ſimilis, perforatus; nunquam tamen vrinam reddens conſpiciebatur. Reliquae partes naturalibus ſimiles, diffortunes et macilentae erant. Ceterum hic vir nihil inde incommodi patiebatur, natus ex parentibus ſanis, ſex abhinc iam annis vxorem duxit, ac cum ea quatuor genuit liberos. Icone addita vir delineatus conſpicitur *). 2) *Veſica vrinaria, extra abdomen ſub vmbilico prominens, in infante recens nato.* Conſpiciebatur ſub vmbilico tumor carneus, magnitudine nucis iuglandis, cui ſuperne inſiderent duo tubercula piſiformia; ſub quo ſcrotum naturale, penis vero tuberculum imperforatum offerebat; perinaeum aberat. Tumor hic non poterat reponi; ſed puer, cum vrinam non poſſet excernere, poſt 9 dies, mortuus eſt; repertumque, renes et vreteres cum hoc tumore communicare, tuberculavero perforata guttulas vrinae quasdam emittere. Reliqua, cum tumor ſphacelo eſſet tactus, Auctor non poterat diſquirere. 3) Narratur, lumbricos teretes, tres, quorum maximus ſex eſſet vncias longus, ex tumore inguinis dextri, qui emollientibus adhibitis in vlcus mutabatur, prodiiſſe, isque egreſſis, vlcus idoneis curatum eſſe remediis. 4) Puella ſeptem dies nata, fluxum menſtruum, qui per 5 dies continuaret, paſſa eſt, ſine noxa: ac poſt annum iterum feliciter menſtruata. 5) *Ingnis tumor hydropicus lumbaris, partum difficilem reddens;* tandem tamen, cum caput truncusque naturali vi eſſent egreſſa manuque tumor ab oſſibus pubis deprimeretur, partus finitus eſt, tumorque, icone depictus, in conſpectum venit, et loco oſſis ſacri coccygisque ſex adfuerunt hydatides. 6) *Animalcu-*

p. 104.

p. 208.

p. 111.

*) vid. caſus analogus in Nov. Act. Natur. Curioſ. Tom. IV. 1770. comm. noſtr. paullo infra.

malculum ſcroto adhaerens. Primo tumorem ſenſit vir, verrucae pendulae figura, qui, ſi fricaretur, ſenſum excitaret corporis peregrini; poſtea, duplo maiori eius volumine facto, noctu ſponte decidit. Atque obſeruatum eſt, fuiſſe animalculum capitulo nigro, ſex pedibus nigris inſtructum, quod in folliculum album, 2½ lineas longum, 2 lineas latum, qui ſanguine eſſet repletus nigro, deſineret. In ſcroto remanſit durities emollientibus mox euaneſcens. Quaeritur: cuius generis et ſpeciei fuerit hoc animalculum, et vnde ſcroto viri illapſum? tum, qua fabrica ſanguinem hauſerit, fueritne hirudini ſimile? 7) *Butyrum arſenicale iuueni ancillae funeſtum.* Cum enim caſu butyrum, arſenico remixtum, inſcia deuoraret, ſtatim vomitu, aluinaque deiectione frequenti afficiebatur: quae ſymptomata, quamquam theriaca Andromaches, lac vaccinum et oleum amygdalarum dulcium exhiberentur, ſemper augebantur, donec ſequenti moriretur die. 8) Cum fragmentum oſſis triangulare deglutitum eſſet, per menſem ſenſus acutus dolorificus circa regionem ventriculi percipiebatur: tumque repente ortus vomitus ſanguineus per quatuor dies, quo ipſum oſſis fragmentum ederetur, durans, qui nullis poterat ſiſti remediis, aegrum morti dedit. 9) *Carcinomatis linguae extirpatio.* Nato in lingua tumore, indeque cancro facto, adhibita remedia nihil iuuarunt, donec operatio inſtitueretur. Quae quidem feliciter ſuſcepta, linguae etiam curationem producebat: at vero, cum aeger ſenex eſſet, humores deprauati in glandulas parotides deponebantur, atque ſic marasmo conſumtus aeger eſt mortuus. 10) In viro iuuene obeſo, ac ſano in dextro latere pulſus perſentiebatur, indeque colligebatur cor, in dextrum locatum eſſe latus.

13.

13) IO. LVD. BVXTORFIVS refert caſum fe- p. 119.
bris ſcarlatinae, quae ex ſubito poſt magnum calorem refrigerio orta, grauibus ſymptomatis praedita, per ſex dies durans, catameniorum fluxu critico, adhibitisque remediis curata eſt. Huic ſubiungit duas conuulſionum anomalarum, choreae S. Viti ſimilium hiſtorias: quarum prior per ſex hebdomadas fere continuo, ſenſim aggrauatis ſymptomatis, aegrum occupauit, dirisque vexauit conuulſionibus omnium artuum; adhibitis vero optimis antiſpaſmodicis externisque epiſpaſticis morbus tandem, accedente in ſtatu conualeſcentiae ſudore, ſenſim ſanatus eſt: altera etiam ad ſex hebdomadas conuulſionibus vexata nullis curari poterat remediis, donec natura haemorrhagia narium morbum tolleret. In vtroque caſu plena fere ſenſuum erat perfectio, actionumque vitalium, naturalium liberum exercitium.

14) *Ternio graminum, ex* America *nouorum, de-* p. 127.
ſcripta et iconibus illuſtrata A PETRO IONA BERGIO. Cum pauca omnino ſint, quae de *graminibus* noui orbis conſtent, gratum certe omnibus erunt Botanicis et ea, quae iam deſcribit Cl. BERGIVS, et, ſi plures ſtirpium Americanarum e collectione Rolandriana, vti promittit, deſcribet et delineatas tradet. Sunt vero gramina, hic deſcripta egregieque delineata haec: *Paſpalum repens*, ſpicis paniculatis ſubuerticillatis nutantibus, culmo repente; *Paſpalum coniugatum* ſpicis coniugatis, et *Schoenus ſetaceus*, culmo tereti ſtriato, foliis ſetaceis, floribus lateralibus. Quae omnia in Surinamo habitant. His addit nouam Piperis ſpeciem, quam nominat *Piper aggregatum*, foliis ouatis acuminatis, ſpicis aggregatis breuiſſimis.

p. 133. 15) *De calculo probabilitatum*, Auct. Cl. MALLEY, prof. aſtronomiae Genevenſi.

p. 173. 16) *Biga obſeruationum* ex L. E. BINNINGERI, Med. Doct. dum viueret, archiatri et conſiliarii Montbelgardenſis manuſcriptis depromtarum a nepote D. C. E. BERDOT. Med. Doct. Primo militem quendam vltra 80 menſuras quotidie bibiſſe; deinde hominem ſcorbuticum, epotis per diem centum cyathis, quorum quisque vnciarum quinque capax eſſet, thermarum plumbarium, idque repetita vice, a morbo fuiſſe ſanatum refertur.

p. 177. 17) D. C. E. BERDOT *obſeruationem de lumbricis, e cubito erumpentibus*, communicat. Perterritus ante variolarum eruptionem puer trium annorum, variolis ſuperatis, hemiplegia menteque debili afficiebatur: quae balneorum domeſticorum, et poſtea plumbarium aquarum vſu eo ſanabantur, vt incompletus ſolum remaneret brachii motus. Decimo nono aetatis anno humerus ſiniſter indoluit, tumidaque puſtula enata, eaque ſponte aperta, plures exierunt lumbrici, terreſtribus ſimiles: tumque vlcus ſponte exſiccabatur. Haec etiam lumbricorum excretio ſaepe regreſſa eſt. Senſit iuuenis primo in epigaſtrica regione ſiniſtri lateris dolorem, qui per pectus ad axillam, inde ad ſcapulam humerumque reptaret. Tentata intus anthelmintica, extuſue vlceri et epigaſtrio inunctum vnguentum mercuriale. Sitne vero cura ſecuta, non relatum legimus.

p. 181. 18) *Enumeratio Auctorum, qui de hiſtoria naturali Heluetica ſcripſerunt, addito de iis iudicio*, per Cl. DE HALLER Filium. Veſtigia Ill. Patris feliciſſi-

liciſſime ac diligentiſſime premens Cl. Auctor, proponit hic bibliothecam Auctorum hiſtoriae naturalis Helueticae, eo electo ordine, vt in duas ſectiones omnem diuidat tractationem: quarum prior continet libros, generatim hiſtoriam naturalem attinentes, et quidem vel de Heluetia omni, vel de quibusdam eiusdem regionibus agentes, vel qui quasdam generales afferant de hac ſcientiae notiones, vt ſunt topographiae, itinera, ſocietatum acta, muſea, litterae familiares, atque oeconomici libri: poſterior ſectio libros ſpecialius de hiſtoria Heluetica naturali agentes complectens, primo capite recenſet libros, clima, aërem atque obſeruationes meteorologicas referentes; ſecundo morborum Helueticorum eorumque remediorum deſcriptores, tertioque recenſet hiſtoriae fontium Helueticorum fontes, cum vniuerſales, tum particulares; quarto mineralogias, quinto hydrologias, ſexto vegetabilium hiſtorias, ſeptimo zoologicos libros atque octauo phyſicos, de phaenomenis, in Heluetia conſpiciendis, agentes Cl. Auctor enarrat. His in genere de ordine, quo Noſter vſus eſt, praemonitis, quaedam eſſent ſpecialius excerpenda. Verum, cum vix iudicia Cl. HALLERI notatuque digniſſima in compendium tranſigi poſſint; notamus tantum, praeter libros editos, manuſcriptos etiam codices eſſe a Noſtro recenſitos, vt ſunt IO. IAC. SCHEVCHZERI *Hiſtoria Plantarum et animalium Heluetiae* pluraque muſea; addidiſſe hic quoque omnium in Heluetia reperiundorum muſeorum numerum. Quod partes attinet ſpeciales, in mineralogicis non conſentit cum Cl. GVETTARDO, qui Heluetiam cum Canada comparauerit. *) In botanicas

*) vid. Mémoires de l'Ac. Roy. de Par. 1752. 4.

tanicis merita CONRADI GESNERI ac Ill. Patris praecipue narrantur. Omninoque Noſter numerum librorum 533 attulit.

p. 331. 19) WERNERI DE LA CHENAL obſeruationes nonnullae botanicae. Primo *Sedi aruenſis* flore rubente BAVH. icon atque ſynonymia deſcribitur, putatque Auctor, LINNAEVM hanc ſtirpem cum aliis inter ſe diuerſis confudiſſe. Deinde *Seſeli Pyrenaicum* LINN. deſcribit et delineatam iconem ſiſtit: monetque, propter alas ſeminum non ad *Seſeli*, ſed ad *Selina* eſſe referendum. Nominat illud *Selinum, vaginis foliorum amplis, foliis triplicato pinnatis, lobulis vltimis lanceolato linearibus, acutis, mucronatis.* Cum his coniungit deſcriptionem egregiam *Selini caruifolii* CRANZ (*Stirp. Auſtr. P. I. p.* 162. *t.* 3. *f.* 2.) quod eſt *Caruifolia* BAVHINI: atque *Selini caruifoliae* LINN. ſynonymiam extricat.

XIII.

Dissertation sur les parties sensibles du corps animal, suivie d'un mémoire sur les avantages que procurent les frictions mercurielles dans le traitément de quelques epilepsies idiopatiques, avec les consultations et lettres, qui y ont rapport; terminé par deux observations sur l'usage du mercure pour la guérison du scorbut et des dartres. Par Mr. E. I. P. HOVSSET, Docteur en l'Université de Médécine et Correspondant de la Societé Royale des Sciences de Montpellier, Médécin des hôpitaux, Bibliothécaire et ancien Directeur de la Societé des Sciences et belles Lettres d'Auxerre. A Lausanne, chez Franç. Grasset et Comp. MDCCLXX. 8. plagg. 7. absque titulo et dedicatione ad Ill. HALLERVM directa.

i. e.

Cl. HOVSSET dissertatio de partibus sensibilibus corporis animalis cet.

Prior dissertatio ea tantum vlterius illustrat, quae in variis epistolis olim Cl Auctor proposuit. Postquam de cautionibus, quae in experimentis huiusmodi capiendis necessariae sint, disseruit; monstrat, aduersarios Ill. HALLERI has regulas neglexisse, obseruationes in hominibus factas multo incertiores esse, quam quae in brutis fiant: quum haec ab animi passionibus parum vel non turbentur: ac denique facilius dictu esse, quaenam partes sensu careant, quam quae sensiles vocari mereantur; vbi simul exempla quaedam insensilitatis cerebri, peritonaei,

tonaei, lineae albae, omenti, et tendinum adducit; praecipue vero in eo gloriam ponit, quod primus fuerit, qui ſubſtantiam cerebri vſque ad corpora ſtriata inſenſilem eſſe docuerit.

In tractatione de efficacitate inunctionis mercurialis in epilepſia hereditaria et idiopathica, quam ad academiam ſcientiarum Diuiodunenſem direxit, cauſſam huius morbi cum in deprauata viſcerum digerentium conditione, tum in ſumma ſpiſſitudine humorum, quae duae cauſſae arctiſſime inter ſe iunctae ſint, ita, vt altera alteram producat et foveat, ponit: ergo niſi contraindicans adſit, aut niſi certo compertum ſit, morbum hunc deberi vitio conformationis cerebri, calculo in eo geniti, aut ſanguini, poſt vim illatam extra vaſa miſſo; corpore rite parato ad inunctionem mercurialem, tamquam potentiſſimum remedium ſpiſſos humores fundendi, perfugiendum eſſe. Haec tamen medendi ratio, quod candide fatetur, etſi ipſi antea incognita fuerit, quam ratiociniis ad eam duceretur; noua tamen non eſt, ſed iam a SYLVATICO, WILLISIO, ETMVLLERO et ROLFINCIO propoſita. Ipſe autem, ſe recte iudicaſſe, in aegroto iuuene, poſt hemicraniam, diutius durantem, demum epileptico facto expertus eſt, quem primo ab epilepticis inſultibus conſuetis auxiliis per annum immunem reddidit; his autem recrudeſcentibus ſaliuatione, praemiſſis ſanguinis miſſionibus, euacuantibus, balneis cet. per inunctionem excitata prorſus liberauit. (Nos tamen dolemus, hominem hunc, paucis poſt annis in Caiennam delatum, et elapſis ſex menſibus epidemico morbo ibi graſſante exſtinctum, opportunitatem ſecandi cadaueris ſubtraxiſſe, quod ſi fieri potuiſſet, melius omnino de auxilii huius pretio conſtaret.)

Scor-

Scorbutum terreſtrem in ſutore, praemiſſis venae ſectionibus, purgantibus, decoctis antiſcorbuticis et balneis ope boli ex 22 granis aethiopis mineralis, 8 granis diaphoretici mineralis et ſyrupo de fumaria, ſingulis diebus mane ſumto: et eruptionem ſcabioſam ſeu herpetem per totum corpus, ſolo capite excepto, in virgine iisdem fere remediis feliciter profligauit; relicta tamen in hac viſus hebetudine, quam cauteriis aggredi noluit, ne vlceribus malae notae ortum ſuppeditaret.

XIV.

Diſſertations ſur la dilatation des artères, et ſur la ſenſibilité; appuyées de pluſieurs expériences, faites ſur les animaux vivans, auxquelles on a joint deux obſeruations ſur l'hydropiſie du péritoine par M. ARTHAVD, Lic. en Méd. à Paris, chez P. G. Cavelier, Libraire. MDCCCXXI. 8. maj. plagg. 4½.

i. e.

Diſſertationes de dilatatione arteriarum et ſenſilitate, experimentis multis in viuis animalibus captis confirmatae: quibus accedunt obſeruationes duae de hydrope peritonaei, Auctore Cl. ARTHAVD.

Prior tractatus diſſertationem inauguralem fiſtit, p. 1.
quam Noſter ſub praeſidio Cl. IADELOT Nancii anno 1770 defendit, in Gallicum ſermonem translatam. In principio demonſtrat, neque aſſumtam elaſticitatem arteriae, nec fibras muſculares eiusdem, nec preſſionem lateralem, dilatationem eius efficere. Figura conica imaginaria, et arteriae non, niſi ratione ramorum, quos emittunt,

diametrum minorem acquirunt: idem iudicium ferri oportet de membrana muſculoſa, ſiquidem non, niſi ſtrata, plus minus denſa, contextus celluloſi adſunt, vario modo diſpoſita, colore rubro, quod iam Ill. SENAC docuit, non, niſi per accidens inſtructa, ſed irritabilitate prorſus deſtituta. Poſt Cl. WEITBRECHTVM veritati propius acceſſit Cl. DE LA MVRE *), arteriam conſpiciens ſe loco mouere ſine dilatatione, huncque motum ab inverſione cordis deriuans. Noſter e contrario in arteriis rectis vix vnquam motum a loco deteri, ſed tantum in curuis, et eo quidem maiorem, quo maior eſſet flexus arteriae ipſius: arteria ligata, diametro eadem remanente, omnis motus infra et inter vtramque ligaturam intercipiebatur. Arteriae omnes vno temporis momento pulſant. Motus autem iſte proficiſcitur a columna continua ſanguinis, quae impetum cordis ſiniſtri recipit, qui ad lineam rectam dirigitur; ſed idem fluidum ad curuaturas arteriae appulſum iisdem directionem rectam comparare annititur, vnde motus iſte a loco. Hic ergo tantum in arteriis curuis locum habet: etſi Cl. DE LA MVRE aliique eundem in arteriis rectis ſe obſeruaſſe dicunt, illud vel contractionibus fortioribus cordis, vel compreſſioni cuidam arteriae ipſius tribuendum erit, v. c. in infantibus, qui obſtructione meſenterii laborant. Similis eſt ratio pulſationis venarum, cuius rei illuſtre exemplum vidit Cl. Auctor in femina, in qua vehemens pulſatio iugularis externae dextri lateris percipiebatur, a ſtruma inſignis molis profecta, quae muſculis et clauiculae impoſita facile poterat vaſa vicina comprimere. Pulſus in omnibus arteriis percipitur, ne iis quidem exceptis, quae loco non mouentur: non aeque in ve-

nis,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 275. ſeq.

nis, ideo quod columnae ſanguinis aequaliter mo-
ventur, et ex ſpatio anguſtiore in amplius tranſeunt.
Si digitus arteriam diſquirit, mutata eius forma ſan-
guinis liber tranſitus impeditur, ad quod obſtaculum
ſuperandum maior impetus ſanguinis, quem pulſum
dicimus, efficitur: inde ſub ligatura nullus pulſus.

Sequuntur experimenta, hac de re in variis ani- p. 13.
malibus capta. In praefatione Cl. ARTHAVD in-
ſtrumentum quoddam deſcribit, quo dilatationes
arteriae, ſi quae eſſent, cognoſci poſſint: cuius
tamen imperfectionem cum ipſe perſpexerit, eius-
dem deſcriptioni commode ſuperſedere nos poſſe
putamus. Summa autem experimentorum, prae-
ter ea, quae iam adduximus, eo fere redit. Effe-
ctus compreſſionis iidem ſunt, ac ligaturae, ratione
intercepti motus ſanguinis: illa autem ceſſante, hic
protinus redit. Arteria inter ligaturas aperta, ſan-
guis eodem, quo ex vena ſecta, modo effluit. Poſt
mortem etiam corde compreſſo arteria a ſanguine
huc relato pulſat, nullis conuerſionis ſignis animad-
vertendis: ex arteria etiam aperta ſanguis ad ſatis
inſigne ſpatium proſilit. Arteria, quae multos
flexus habet, v. c. ceruicalis poſterior, ſeparato
contextu celluloſo in ſitum rectum delata, non am-
plius, vt antea, loco mouetur: e contrario aorta
deſcendens, digito ſubiecto curua reddita, motum
a loco viuide oſtendit. Pulſus, qui infra ligaturam
arteriae nullus eſt, hac ſublata, rurſus percipitur.

Secundus tractatus de ſenſilitate partium potiſ- p. 27.
ſimum contra Cl. FABRE, vti ſcriptum Cl. HOVS-
SET, ſupra a nobis indicatum, aduerſus Cl. LE CAT,
directus eſt. Partes animales ratione ſenſilitatis in
quatuor claſſes diſpeſcit Noſter: aliae ſunt abſolu-
te ſenſiles, quod ſolis neruis competit; aliae rela-

tiue ſenſiles, in quibus nerui, ſepoſitis vel prorſus, vel maximam partem inuolucris, terminantur, quae ſunt cutis et fibra muſcularis; per accidens ſenſiles, quae neruos obtegunt vel iisdem tranſitum praebent, vt inuolucra neruorum, pleura, peritonaeum, cet. et abſolute inſenſiles, quae ſunt aponeuroſes, membranae, tendines. Multi refutare experimenta Ill. HALLERI de inſenſilitate tendinum anniſi ſunt; ſed quo iure, ipſe hic vir celeberrimus monſtrauit. Perperam ad auctoritatem obſeruatorum veterum prouocatur, partim quia hi praeiudiciis occoecati erant, partim quia ſibi ipſis contradicunt, cum futuram rupti tendinis commendant. Si Cl. FABRE ad dolorem contextus celluloſi ſub ſuppuratione prouocat; in eo latet error, quod partes ſenſiles vicinae dolorem excitant. Cl. PETIT iam faſſus eſt, ſe ſaepius periosteum ſine ſubſequente ſenſu irritaſſe. Senſilitas relatiua, quam Cl. FABRE tendinibus in morbis adſcribit, nulla eſt, ſed a tenſione et imitatione ſola neruorum adiacentium deriuari debet. Senſilitas, durae matri tributa, itidem ab originibus nervorum violenter tractis et male affectis proficiſcitur. Attamen Cl. Auctor non adſtipulatur Ill. HALLERO, tendinum laeſiones futura indigere, partim ob propinquitatem partium admodum ſenſilium, partim quia haec operatio minus neceſſaria eſt, quum ſitus commodus partis laeſae et faſciae appropriatae curationi ſufficiant. Experimenta tria in canibus, ad diſquirendam ſenſilitatem tendinum inſtituta, nunc mittimus.

p. 41. Tractatus tertius de hydrope peritonaei primo generalia quaedam de origine ac diuerſa ſede hydropis exponit, vbi Cl. Auctor memorat, ſe vidiſſe tumorem ouarii, qui 45 librarum pondus acqui-

acquisiuerit et herniam vmbilicalem produxerit. Hydrops peritonaei potissimum feminis ob laxitatem huius partis naturalem competit: occasionales caussas sistunt irritatio a tractione partium quarundam vteri eiusue ligamentorum, et relaxatio vasorum lymphaticorum peritonaei, quae si iusto maiorem copiam lymphae susceperint, rumpentes caussam proximam constituunt. Origo cauitatum, hoc modo enatarum, cum origine vomicarum in pulmonibus comparatur. Lentus est morbus, per plures annos sub tecta specie aegrotum afficiens, ideoque difficillimus cognitu, nisi iam adoleverit. Potissimum cum hydrope omenti conuenit, qui tamen vtrique sexui communis est, totum abdomen sensim occupat, digestionem laesam, postea vomitum omnium assumtorum, atque vno verbo citius augmentum omnium symptomatum offert; noster e contrario, plerumque partus laborioſi sequela, multo plus temporis requirit, antequam functionum laesarum symptomata accedant, aegris non, nisi pondus in abdomine et leuem calorem sentientibus. Ex his difficultas prognoseos patet, et quam aegre morbo, adeo obscuro, iusta medela afferri queat: quod ex duobus exemplis multo clarius apparet, altero ipsa sorore Cl. ARTHAVD, altero a medico quodam Lunaeuillensi, ipsi communicato. In vtroque casu puerperium morbo ortum praebuerat, qui in priore octo fere annos, in altero duos perdurauit. Prior aegrota, tertio morbi anno elapso, tumorem insignem abdominis percipiens, a chirurgo, negligentius rem tractante, venae sectionibus et balneis consultis tumorem breui auctum perspexit, adeo, vt, fluctuatione se manifestante, frustra adhibitis remediis internis, paracentesis ter institueretur, donec tandem, multis medicis in consilium vocatis, cum omnem spem salu-

tis

tis abieciſſet, agyrtae ſe tradens vſu reſoluentium calidiorum breui conficeretur: ſectum cadauer non quidem obſtructiones in ouario, vti putabatur, ſed duos folliculos in regione hypogaſtrica, quorum alter verſus regionem iliacam ſiniſtram ſitus erat, alter totam regionem lumbarem dextram, hypochondrium eius lateris et partem regionis vmbilicalis occupabat, aliosque numero duodecim, ſibi inuicem adhaerentes, et in contextu celluloſo peritonaei ſitos, offerebat, quorum minimus magnitudine oui ſtruthiocameli erat; omnes inſigni copia liquoris, ex rubro nigri, ſcatebant: praeterea omentum pluribus locis peritoneo adhaerebat: viſcera abdominis ſana erant, ſed ligamenta lata vteri ac tubae Fallopianae deſtructa, vterus ipſe ſcirrhoſus, membrana eius exteriore humorem nigrum, cui ipſe innatabat, continente. In altera aegrota morbus aſcitem mentiebatur, quem obſtructioni hepatis adſcribebant: in hac paracenteſis viginti quatuor vicibus adminiſtrata fuit. Sectio corpus informe, carnoſum, oſſeum, glanduloſum, libras decem et vncias duas pondere aequans, peritonaeo exterius inſidens, detexit, multis folliculis obtectum, qui humorem rubellum et mucoſum continebant: humor mucoſus et limpidus totum peritonaeum repleuerat. Cetera viſcera non inſpiciebantur.

p. 58. His expoſitis Noſter curationem huius morbi, qualem olim Cl. LITTRE *) propoſuerat, repetit, nempe vt, tumore aperto et iniectionibus detergentibus depurato, parietes peritonaei, aptis ſimul adhibitis faſciis, iterum vniantur: iniectio tamen tincturae myrrhae et aloes nimis fortis ipſi videtur, et facile diarrhoeae periculoſae ortum ſuppeditare poſſet. Cingulum a Cl. MONRO inuentum vtile futu-

*) Mém. de l'acad. des ſciences, année 1707. p. 511.

turum iudicat. Si plures exſtiterint tumores, ingulum incidendum, imo ipſis cauſticis exſtir-pandum ſuadet.

XV.

Mémoire ſur la cauſe de la pulſation des artères, par M. IADELOT, Profeſſeur de la Faculté de Médécine de Nancy, de l'Académie des Sciences et Belles-Lettres de la même Ville. — A Nancy, et ſe trouve à Paris, chez Valade, Libraire. MDCCLXXI. 8. maj. plagg. 4.

i. e.

Commentatio de cauſſa pulſationis arteriarum, Auctore Cl. IADELOT.

Clariſſimus ARTHAVD in praefatione libelli, ſtatim indicati, dixerat, Noſtrum Auctorem, ſuum quondam magiſtrum, vſum eſſe experimentis ab ipſo captis, indeque deductis ratiociniis: quod Cl. IADELOT admodum aegre tulit, ideoque grauiter in praefatione in adeo ingratum diſcipulum inuehitur, monetque, Cl. ARTHAVD experimenta haec ſub ipſius moderamine atque directione cepiſſe; ſpecimen inaugurale a ſe correctum et in meliorem ordinem redactum eſſe cet. hancque cauſſam ſe mouiſſe, vt ipſe praeſentem commentarium, quem iam Cl. PORTAL tradiderat, academiae Regiae ſcientiarum proponendum, in lucem edere conſtituerit. Nos vero, quorum non eſt litem hanc componere, id tantum monemus, experimenta quidem hic adducta maximam partem eadem eſſe, quae iam ex Cl. ARTHAVD excitauimus: negari tamen non poſſe, maiorem perſpicuitatem melioremque idearum ordinem omnino hunc laborem prae altero

ro commendare. Iis itaque miſſis, quae iam Cl. ARTHAVD habet, ea tantum breuiter excerpamus, quae Cl. IADELOT propria ſunt.

p. 27. In equo arteria carotis ſub ſingula pulſatione
p. 31. leuiſſime ſubſilit, et alternis vicibus a corde verſus caput, et a capite verſus cor trahitur. Aorta prope arcum maxime mouetur; non aeque, vbi longius a corde remota eſt. Argumenta pro dila-
p. 33. tatione arteriarum valere non poſſunt, cum experimenta contrarium doceant. Phyſiologi omnes
p. 35. percuſſionem, quam digitus arteriae impoſitus percipit, cum motu arteriae a loco confundunt, ipſe HALLERVS vltimum phaenomenon falſis cauſſis adſcribit, quum ſola directio arteriae illud producat.

p. 39. Perperam ergo Cl. DE LAMVRE cauſſam huius mutationis in conuerſione cordis ponit, et temere ad rigiditatem ſeu tenſionem arteriarum, quam vim tonicam dicit, confugit, quae ipſa nulla
p. 41. eſt: inuerſio enim cordis fit, ſi apex eius, ſanguine redeunte, proprio pondere verſus ſpinam dorſi dirigitur: huius ergo motus effectus non vltra diaphragma extenduntur, neque vltra truncum aortae aſcendentis. Multum ergo abeſt, vt is in ramis minimis et remotiſſimis conſpici poſſit, in quibus tamen, ſi directione curua gaudent, mo-
p. 44. tus a loco adeo ſentitur. Cl. PORTAL effectus huius inuerſionis non extra pericardium extendi arbitratur.

p. 45. Vera ergo vtriusque phaenomeni cauſſa in ſanguinis a corde facto impulſu quaerenda eſt; concurrere autem debent liber eius tranſitus et continuitas ramorum et trunci arteriarum. Ad vltimum momentum ſtabiliendum Cl. IADELOT experimentis vſus eſt, quae Cl. quoque ARTHAVD adducit; quorum tamen in huius recenſione ideo mentionem non fecimus, quod nullam eorum ap-

pli-

plicationem adiunctam videbamus. Nimirum p. 45.
partii cuidam inteſtinorum galli, quae diametro fere
aortam aequabat, in vtroque fine tubulum ferreum,
canno obductum, applicuit, et alterum aortae,
alterum venae cauae, ligatura ſuper tubulis facta,
immiſit; hic ergo canalis arteriae vices ſub quali-
bet contractione cordis pulſando et loco ſe moven-
do geſſit. Porro ſimili inteſtino iisdem tubulis in
vtroque fine veſicam vrinariam vitulinam, aqua p. 48.
repletam, applicuit: apparatu hoc, in tabula collo-
cato, ſimulac alterutra veſica comprimebatur, ca-
nalis elongatus motum arteriae aemulum ſiſtebat,
digito admoto pulſabat, et curuatus maiorem mo-
tum a loco verſus curuaturas oſtendebat, quam in
linea recta: in neutro vero experimento dilatatio
vlla obſeruari poterat.

Ex his patet, progreſſum ſanguinis in arteriis
impulſui cordis adſcribi debere; num vero hoc fi-
at preſſione, an percuſſione, difficile dictu eſt; p. 50.
poſterior tamen ſententia, aſſumtis adeo par-
vis interuallis, quae percipi nequeant, proba-
bilior videtur. Hoc autem certum eſt et iam ab
Ill. HALLERO obſeruatum, arterias ſub quauis p. 52.
pulſatione elongari: quum autem eae protinus,
ceſſante impulſu, priſtinum ſitum rurſus aſſumant,
inde vera cauſſa motus a loco apparet. Quod au-
tem in ſtatu naturali per curuaturas efficitur, vt
motus iſte viuidior appareat, id infarctus vel ob- p. 54.
ſtructio praeternaturali modo etiam praeſtant: huc
quoque ſpectant agitatio parietum arteriae per mo-
tum conuulſiuum, quae ſaepe etiam in venis
pulſationem producere conſpicitur, ac demum
ipſum impedimentum, curſui ſanguinis per compri-
mentem digitum oppoſitum. Hic tamen motus
a motu arteriae a loco differt, et in parte ſuperio-
re curuaturae maxime percipitur, quia tunc cauſ- p. 57.
ſae

ſae vtraeque concurrunt, fluidum contra digitum agens, et arteria ſe mouens. Cur idem motus in venis non adſit, ſupra iam ex Cl. ARTHAVD vidimus, quibus cauſſis Noſter tranſitum lentiorem quam in arteriis addit.

p. 59. Denique Cl. IADELOT corollaria, quae ex his experientiis Cl. DE LA MVRE colligit, conſiderat. Actionem vaſorum in fluida iam crebra exempla arteriarum oſſeſcentium dubiam reddunt. In in-

p. 61. flammationibus augmentum toni et tenſionis non ſufficiunt ad declarandam celeritatem pulſus, in toto corpore percipiendam, ſed irritatio partis inflammatae, ab intumeſcentia arteriae obſtructae orta et cordi communicata, huius vim auget. Eadem quoque principia in metiendis viribus vitae, ope pulſuum, applicari debent, non ſola ratione virtutis tonicae habita, ſed coniunctim conſideratis vi cordis, quantitate ſanguinis a corde, quantitate ſanguinis a corde propulſi et eius, qui in vaſis continetur, atque ipſius qualitate.

XVI.

Diſſertatio inauguralis obſeruationes botanicas ſiſtens, quam pro gradu doctoris publice defendit IOANNES PHILIPPVS DV ROI, Brunſuicenſis. Helmſtadii. d. 31 octob. 1771. pagg. 62. 4.

Offert hic Cl. Auctor varias obſeruationes, quas in horto Harbeccenſi Ill. F. A. AB VELTHEIM, plantis exoticis ditiſſimo, in determinandis plantis vtiliſſimas, per quadriennium inſtituit. Recenſet plantas ordine Linnaeano, ſubiicit plerumque Linnaeano nomini Anglica Germanicaue, addit Ichniographi nomen, ac quae obſeruauit, ſuc-

cincte

cincte et curate exponit. Plures igitur hic a Cl. Auctore conſtitutas reperimus vel a MILLERO aſſumtas, vel plane nouas, quas breuiter excerpamus. *Cornus Amomum, arborea, foliis ouatis petiolatis, floribus corymboſis terminalibus.* MILL. dict. 3. Differt a *Corno ſanguinea* LINN. florendi tempore, circulo rubro circa germen, et baccis coeruleis oblongis. p. 7. *Prunus nana, floribus racemoſis, foliis oblongo ouatis acuminatis argute ſerratis deciduis, baſi antice glanduloſis:* cuius iconem dedit Cl. Auctor in libro, *die Harbkeſche Baumzucht* inſcripto, de quo eleganti libro proxime vberius agamus. p. 12. *Crataegus lucida, foliis ouato lanceolatis, ſerratis lucidis, ſtipulis linearibus ſerratis, floribus corymboſis, ramis ſpinoſis*, atque huc refert iconem MILLERI tab. 178. fig. 2. quam LINNAEVS ad *Crataegum Crus galli* indicat. *Spiraea alba* MILL. tab. 257. fig. 2.

In *Roſarum* genere diſtinguendo diligentiſſimus fuit Cl. Auctor, atque affirmat calices vel pinnatos, vel ſemipinnatos, vel integros ſpeciem certius determinare. p. 14. Deſcribit viginti ſpecies et vnam; nos indicemus *Roſam eglanteriam*, quam a LINNAEO et LEYSERO aliisque cum *Roſa lutea* permutatam dicit: eſt HALL. hiſt. ſtirp. Helv. II. 39. atque differt a *lutea* pedunculis petiolisque hiſpidis glanduloſis, foliolis ſubrotundis. *Roſam foecundiſſimam, calicibus integris, germinibus globoſis pedunculisque glabris, caule petiolisque aculeatis, aculeis geminis axillaribus, foliis ouato oblongis ſerratis ſubtus villoſis:* de qua, an *Roſa vmbellata* LEYSERI fl. Halenſ. 92. ſit, quaerit. *Roſam puniceam, calicibus integris, germinibus globoſis glanduloſis, pedunculis glabris, floribus bicoloribus, foliolis ouatis glabris ſerratis, ſerraturis petiolisque glanduloſis.* conf. MILL. dict. 12. et hort. Angl. tab. 18. *Roſam prouincialem, calicibus ſemipinnatis*

natis, germinibus globoſis, pedunculis petiolisque hiſpidis, foliolis ouato acuminatis ſubtus villoſis, ſerraturis glanduloſis: cuius triplicem varietatem aſſumit, in quibus eſt MILL. t. 221. f. 2. quam, vt Noſter monet, hic falſo ad *Roſam Damaſcenam* refert. *Roſam holoſericeam, calicibus ſemipinnatis, germinibus globoſis pedunculisque hiſpidis, petiolis hiſpido aculeatis, foliolis ouatis ſubtus villoſis, ſerraturis glanduloſis:* quam MILLERVS ad *Roſam prouincialem* refert. vid. Hort. Angl. tab. 18. *Roſam Virginianam, calicibus integris, petalis longioribus, germinibus globoſis hiſpidis, pedunculis glabris, petiolis carinatis villoſis, foliolis ouatis glabris, floribus vmbellatis. Roſam pimpinellifoliam calicibus integris* vid. MILL. dict. 5. *Roſam Belgicam, calicibus ſemipinnatis villoſis, germinibus ouatis hiſpidis, foliolis ſubtus pubeſcentibus, floribus corymboſis.* vid. MILL. dict. 17. *Roſam moſchatam, calicibus ſemipinnatis glanduloſis, petalis longioribus, germinibus ouatis hiſpidis, foliolis, glabris, floribus corymboſis. Betulae* genus auget et *Alno incana* ſecundum Ill. HALLERVM, et *Alno rugoſa, foliis mucronatis acute ſerratis, ſubtus venoſo rugoſis.* Ad *Quercum* etiam refert *feminam* dictam. vid. MILL. dict. 2. et BLACQV. herb. tab. 487. et *paluſtrem, foliis oblongis pinnatifidis, laciniis dentatis acuminatis, ſeta terminatis,* Americae incolam: et *Marylandicam* ex GRONOV. Fl. Virg. 149. quam in dicto ſupra libro Cl. Auctor depictam dedit. Ex MILLERO etiam aſſumit *Carpinum orientalem*, vid. EIVSD. dict. 8.

p. 37. *Pini* ſpecies rite determinari putat e diuerſitate conorum, foliorum, ac ſquamarum ſimul ſumta: hinc curate nouemdecim viuas viſas Cl. Auctor deſcribit, ex quibus in LINNAEO non inveniuntur; 1. foliis ſolitariis; *Pinus Mariana, conis oualibus pendulis, ſquamis oualibus margine*

vndu-

ondulatis laceris. vid. MILL. dict. 5. et Hort. Angl. tab. I. *Pinus Americana, ſquamis ſubrotundis planis.* MILL. dict. 6. PLVK. alm. 2. t. 121. f. 1. cum ſynonymon PLVKENETII ab aliis falſo *Pinui Balſameae* tribuatur. 2. Foliis geminis; *Pinus Virginiana, conis oblongis incuruis, aculeis ſquamarum rectis:* habitans in America ſeptentrionali. *Pinus maritima, conis pyramidatis, ſquamis oblongis obtuſis.* C. BAVH. pin. 492. DU HAM. arb. II. t. 19. eiusque varietates duae. 3. Foliis ternis. *Pinus rigida, conis pyramidatis confertis, ſquamis oblongis acutis.* Hort. Angl. t. 16. *Pinus paluſtris, conis oblongo pyramidatis, ſquamis oblongis obtuſis.* MILL. dict. 14. 4. Foliis faſciculatis. *Pinus laricina, conis ſubgloboſis, ſquamis laxis orbiculatis glabris;* quam Noſter etiam depictam dat.

Eodem modo ſollicite in extricandis *Salicis* ſpe- p. 50.
ciebus verſatur, vbique botanicorum obſeruationes cum ſuis diligenter comparans. Inter eas *Salicem acuminatam* MILL. dict. 14. a LINNAEO nondum receptam animaduertimus. Nouum etiam p. 58.
eſt in *Aceris* ſpeciebus *Acer ſtriatum, foliis ſubquinquelobis, lobis inaequaliter ſerratis acuminatis, florum racemo pendulo, pedicellis vniflori:* quod anno 1770 in horto Harbeccenſi primum flores protulit, et a Noſtro depictum eſt in libro Eius laudato. Ceterum vbique plantarum definitioni ſubmittit elegantem earum adumbrationem, atque in multis, vbi obſeruata ab aliorum botanicorum dictis recedant, curate indicat; ad quae tamen, cum ſint notatu digniſſima, Lectores ipſa amandemus neceſſe eſt.

XVII.

Nova phyſico medica.

Trium quaeſtionum, ab ſocietate ſcientiarum *Harlemenſi* ad annum 1776. propoſitarum, alteram excerpimus:

